4. 3. 57

Digitized by Google

THEODORI IANSONII
AB ALMELOVEEN
FASTORVM
ROMANORVM
CONSVLARIVM
LIBRI DVO,

QVORVM PRIOR

IVXTA SERIEM ANNORVM,

POSTERIOR

SECVNDVM ORDINEM ALPHABETICVM DIGESTVS, CONTINET PLVRIMAS VETERVM SCRIPTORVM, MAXIME HISTORICORVM, LEGVM VETERVM ATQVE INSCRIPTIONVM, VT ET PANDECTARVM, OMNIVMQVE CODICVM, THEODOSIANI, IVSTINIANEI, GREGORIANI, ET HERMOGENIANI EMENDATIONES.

ACCEDVNT

PRAEFECTI VRBIS
ROMAE ET CONSTANTINOPOLIS.

EDITIO ALTERA,

AVCTIOR MVLTO ET EMENDATIOR.

ADDITIS

FASTIS CONSVLARIBVS GRAECIS EX COD. MS. BIBL. MEDIC.; FASTIS CONSVLARIBVS LATINIS EX MS. CODIC. BIBL OXONIENS. QVAE COLLEG. CORPOR. CHRISTI EST; HENR. BRENCKMANNI EPISTOLA DE COSS. QVORVM IN PANDECTIS FIT MENTIO, NEC NON CASTIGATIONIBVS IN ERRATA TYPOGRAPH. INSCRIPT. ET SVBSCRIPT. LIBR. PRIM. CODIC. IVSTIN.

AMSTELAEDAMI,
APVD IANSONIO-WAESBERGIOS.
cIↄ Iↄ cc xxxx.

Digitized by Google

II

VIRO
ILLVSTRISSIMO ATQVE
AMPLISSIMO
CORNELIO
VAN
BYNKERSHOEK,
ICTO SVMMO,

SVPREMAE CVRIAE PER HOLLANDIAM, ZEELANDIAM, FRISIAMQVE OCCIDENTALEM, QVAE HAGAE COMITVM EST, PRAESIDI GRAVISSIMO

S. P. D.

IO. LVDOVICVS VHLIVS.

FAſtos Romanorum conſulares uiri doctiſſimi, et poſt

obitum quoque celeberrimi, Theodori Ianſonii ab Almeloueen, auctiores longe atque emendatiores TIBI offero, illuſtriſſime uir. Cur in TVAM uero potiſſimum fidem et tutelam eos ſumma, qua par eſt, obſeruantia commendauerim, maximae mihi iuſtiſſimaeque fuerunt cauſſae. Quod ad publicas attinet, neminem TIBI praeferendum iudicaui. Siue enim ad doctrinam TVAM ſingularem attendam, quis eſt, qui TE melius de libri utilitate ac praeſtantia poſſit iudicare? ſiue reſpiciam faſtigium honorum in re publica ſummorum, ad quod

pro-

propria uirtute perueniſti, et in quo uenerabunda cum admiratione TE conſtitutum uideo, maius ſane augmentum fama Almelouenii recipere non potuiſſet, quam quod TVVM, uirorum ampliſſime, in fronte libelli praefulgeat nomen illuſtriſſimum. Si iam per uerecundiam TVAM liceret, uel excurrerem in laudes TVAS, uel depraedicarem praeſtantiam aeternorum ingenii TVI monimentorum, quibus iam dudum immortalitatem famae conſequutus es. Verum mitto publicas, in medium prolatis priuatis ac domeſticis cauſ-

ſis, quae me eo adegerunt, ut, ſi alii hunc libellum, quam TIBI, obtuliſſem, immemoris animi inuidiam nulla ratione effugere, nulloque modo ingratiſſimi notam potuiſſem delere. Quodſi enim illius temporis recordor, (id autem quotidie facere ſoleo,) quo mihi licuit eſſe tam felici, coram TE uenerari, et obſeruantiam meam TIBI declarare; ſummo ſemper afficior gaudio. Quid iam dicam de ſumma, qua me complexus es beneuolentia; quid de multis, quibus me ornaſti, beneficiis. Tanta ea ſunt, ac tantus

tus eorum numerus, nullo ut exponere modo ea queam. Quum uero mihi, excepto hoc chartaceo munuſculo, nihil prae manibus ſit, quo gratum TIBI animum meum teſtari poſſim: malui ego hunc ipſum libellum TIBI offerre, quam ingratiſſimi animi ſuſpicionem apud poſteros incurrere. Si quid abs TE petere fas eſt, rogo, uti libellum ea, qua me ſemper ſolebas, ſuſcipias humanitate, TIBIQVE perſuadeas, nulli me umquam in TE colendo obſeruandoque conceſſurum. Ita uale, uir illuſtriſſime,

meque et in poſterum gratia TVA non indignum iudica. Scrib. x. Nou. cIↄ Iↄ CC XXXVIIII.

A D

Digitized by Google

V

AD
LECTOREM
BENEVOLVM
PRAEFATIO.

* * * * * * * * * * * *

NI praeclare facere, qui doctorum uirorum praeſtantiſſimos libellos, quorum copia haberi commode non poteſt, parabiliores reddere ſtudent, uiderentur: numquam ſane induci me paſſus fuiſſem, quaedam ut praefarer utiliſſimo libello, qui iam ſumtu eximii uiri, Henrici Ianſonii a Waesberge *prodit. Legem tamen hanc ego mihimet ipſe dixi, ut nec minus neceſſaria proferam, nec praetermittam neceſſaria. Iam ſuperfluum foret, ſi uel longa oratione*

exquiſitiſque argumentis praeſtantiam libelli demonſtrare, quam ipſe auctor in praefatione libello praemiſſa, quantum ſatis eſt, oſtendit: uel magna in rem litterariam merita, doctrinamque ſingularem uiri poſt fata quoque celeberrimi depraedicare uellem. Nemo enim eſt, qui non ueneretur nomen ipſis etiam Muſis charum THEODORI IANSONII AB ALMELOVEEN; Medicin. ac elegant. litterar. in acad. Harderou. P. P. O. *nec eſt, niſi qui diurna nocturnaque manu uerſandos putet ſingulari doctrina refertos praeſtantiſſimi auctoris noſtri libellos, inter quos primum locum merito ſibi uindicant* Faſtorum Romanorum conſularium libri duo, quorum prior iuxta ſeriem annorum, poſterior ſecundum ordinem alphabeticum digeſtus, continet plurimas ueterum ſcriptorum, maxime hiſtoricorum, legum ueterum atque inſcriptionum, ut et Pandectarum, omniumque Codicum, Theodoſiani, Iuſtinianei, Gregoriani & Hermogeniani

emen-

emendationes. Accedunt praefecti urbis Romae et Conſtantinopolis. *Approbauit hoc inſtitutum uir, dum uiueret, doctiſſimus*, IO. ALB. FABRICIVS *in* Bibliograph. antiquar. pag. 217. „ Quemadmodum Athenienſibus, *inquit*, Archontes, ita Romanis, conſules tempora deſignabant, unde perquam commodam utilemque operam hiſtoriae Romanae ſtudioſis praeſtitit clariſſimus uir et alia multiplici ſpectatae induſtriae laude inſignis Theodorus Ianſonius ab Almeloueen, cuius libri duo Faſtorum Romanorum conſularium exſtant, Amſtelod. 1705, 8. ſecundis curis quibus hoc opus expolire auctor doctiſſimus inſtituerat, ante paucos menſes interceſſit uiri fatum, quod eum anno 1712. abſtulit Harderouici, et ſimul tot alios egregios eius conatus oppreſſit." *Meum iam eſſet, ut inſtituti rationem aliquam redderem: uerum quum, quantum ſatis eſt, id ipſe celeberrimus auctor fecerit in praefatione*

tione ipſis Faſtis praemiſſa, actum agere nolui. Vitae tamen atque librorum ab eo editorum mentionem aliquam feciſſem, dummodo accuratam eius notitiam potuiſſem habere: forte aliquando id praeſtare potero. Iam paucis, L. B. accipe, quid in hac noua praeſtitum a me ſit editione, et quamnam praerogatiuam prae priori habeat. Atque iam demum gratiſſima mihi ſeſe offert occaſio publice depraedicandi ſummam humanitatem, bonasque litteras iuuandi ſtudium V. S. R. HENRICI A SYPESTEYN, *purioris coetus apud Doornenſes in Vltraiectenſi ditione paſtoris fideliſſimi, qui exorari ſe non paſſus ultro mihi obtulit horum faſtorum exemplum, cui uir laudatiſſimus innumeras emendationes adiecerat, multisque argumentis adiectis poſitiones firmauerat ſuas, quas ubique addi curaui. Praeterea auctorum loca, ab auctore noſtro citata, quorum copiam habere potui, ipſe conſului, talique modo multa falſe citata correxi loca. Quum-*

que

que uiderem, *V. C.* HADRIANVM RELANDVM *adieciſſe faſtis fratris ſui a ſe editis* Adpendicem *quemdam*, *in qua exſtarent* 1.) Faſti conſulares Graeci ex codice MS. bibliothecae Mediceae; 2.) Faſti conſulares Latini ex MS. codice bibliothecae Oxonienſis, quae collegii corporis Chriſti eſt; *et* 3.) *denique* HENRICI BRENCMANNI, ICti et academici Florentini, epiſtola de conſulibus, quorum in Pandectis fit mentio: *non dubitaui totam hanc adpendicem faſtis noſtris adiicere*; *tum quod ipſi illi Faſti Relandi quam rariſſime hodie in tabernis librariis inueniantur*; *tum quod magis noſtris illa adpendix reſpondeat*, *neque alios exhibeat conſules*, *quam quos inuenire in integris Faſtis licet. In fine denique adieci* Inſcriptiones et ſubſcriptiones Iuſtinianei Codicis a typographorum incuriis uindicatas a Candido Adiniua Grananeſio, *quas mecum beneuole communicauit uir celeberrimus*, *quem honoris cauſſa nomino*,

mino, IACOBVS PHILIPPVS D'ORVILLE: *cuius opuſculi praeſtantiam oſtendit laudatus* HENRICVS BRENCMANNVS *in* epiſtola citata pag. 590. *Id unice dolendum, illuſtriſſimum auctorem in emendatione inſcriptionum et ſubſcriptionum libri I. Codicis ſubſtitiſſe, nec proceſſiſſe ulterius. Conſilium quoque coeperam, uarias in fine addere animaduerſiones, quum hinc inde a uiro clariſſimo et ipſe diſſentiam, et ſaepe diſſentire non ſine ratione uideam uiros celeberrimos: uerum ita ſub manibus creuit liber, ut mei amantiſſimus* Waesbergius *conſultius iudicarit, eas ſeorſim publici iuris facere Emendarunt hinc inde Almelouenium celeberrimi doctiſſimique uiri*, PETRVS BVRMANNVS, *quem praeceptorem ueneror*, ad Suetonium, *patruique ueſtigia pleno gradu premens* PETRVS BVRMANNVS ad Valeſii Miſcellanea; ARNOLDVS DRAKENBORCHIVS ad Liuium, *reu. abb.* DOMINICVS GEORGI ad Baronii

ronii Annales, IO. DAN. RITTERVS ad Gothofredi Codicem Theodoſianum, *illuſtriſſ.* POLENVS ad Frontinum, *innumerique alii, qui uel ueteres auctores; uel inſcriptiones ac numiſmata ediderunt, ſuiſque illuſtrarunt adnotationibus, quos recenſere longum foret. Gratias praeterea ſummas debeo tum laudatiſſimo* HENRICO A SYPESTEYN, *qui* Gisb. Cuperi litteras ad Almelouenium *datas; tum celeberrimo* HERM. SAM. REIMARO, *qui* Io. Alb. Fabricii animaduerſiones *margini adſcriptas beneuole mecum communicarunt. Interim quum doctiſſimus* REIMARVS *iam totus in eo ſit, ut* Dionem Caſſium *edat, ſine dubio nos docebit, an* Charondas *ad* L. 8. D. de quaeſtion. *uti refert auctor noſter in* praefatione pag. 17. *recte notet, Dionem Caſſium mentionem facere Lucii Apronii et A. Vibii Habiti coſſ. Verum, ſi quid uideo, deceptus fuit Charondas loco* Libr. LVIIII. pag. 649. *ubi quidem nominatur*
Lu-

Lucius Apronius *conſul: ſed is eſt* Lucius Apronius Caeſianus, *qui conſul fuit A. V.* C. 792. *quum tamen Lucius Apronius cum A. Vibio Habito ſuffectus fuerit A. V.* C. 761. *Has, quas paullo ante commemoraui, animaduerſiones breui, ſi Deo ita uiſum fuerit, publica luce donabo. Tu, L. B. uale, meisque bene de litteris merendi conatibus et in poſterum faue. Dab.* x. *Nou.* cIↄ Iↄ cc xxxviiii.

1 X

THEODORI IANSONII AB ALMELOVEEN

FASTORVM ROMANORVM CONSVLARIVM

LIBRI DVO,

QVORVM PRIOR

IVXTA SERIEM ANNORVM,

POSTERIOR

SECVNDVM ORDINEM ALPHABETICVM DIGESTVS, CONTINET PLVRIMAS VETERVM SCRIPTORVM, MAXIME HISTORICORVM, LEGVM VETERVM ATQVE INSCRIPTIONVM, VT ET PANDECTARVM, OMNIVMQVE CODICVM, THEODOSIANI, IVSTINIANEI, GREGORIANI, ET HERMOGENIANI EMENDATIONES.

ACCEDVNT

PRAEFECTI VRBIS

ROMAE ET CONSTANTINOPOLIS.

EDITIO ALTERA

AVCTIOR MVLTO ET EMENDATIOR.

GENEROSISSIMIS

AC

SPLENDIDISSIMIS

ACADEMIAE

DVCATVS GELRIAE

ET

COMITATVS ZVTPHANIAE

CVRATORIBVS

VIRIS

VIRTVTVM OMNIS GENERIS LAVDVM AC HONORVM FVLGORE PERILLVSTRIBVS LITTERARVM ET LITTERATORVM PATRONIS PRAESTANTISSIMIS

S. P. D.

THEODORVS IANSONIVS

AB ALMELOVEEN.

EX ueterum laudabili profecto more, frequentiſſimo plurimorum ſeculorum confirmato uſu, Faſtorum conſularium meorum commentarios dedicaturo non diu multumue circumſpiciendum fuit, quosnam potiſſimum eligerem patronos, quum continuo ante oculos meos uerſarentur ueſtra, uiri perilluſtres, in me accumulata beneficia, et fauoris ſingularis teſtimonia permulta. Nam uti primum ex magno candidatorum numero, ut ueſtro celeberrimo in Athenaeo humaniores litteras traderem, me potiſſimum eligere, ac iſto ueſtire honore ſitis dignati, ſic, ad in dies magis magisque me uobis deuinciendum ſemel atque iterum ſummi

imperii academici ornamentis atque inſignibus condecoraſtis: immo, quo eluceſceret maxime ueſtra erga me uoluntas mirifica, artis medicae, quam amplius uiginti annos pro uirili ſtudioſe ac prudenter exercere eram anniſus, Profeſſionem priori haud difficiles addidiſtis, haud grauate contuliſtis. Quae diu noctuque uoluens memori animo, nihil plane duxi prius, nihil habui antiquius, quam ut idoneum iſtis muneribus, dignum tot tantisque beneficiis me redderem. Itaque ex eo tempore ſedulo in id incubui, ut curae meae commiſſos adoleſcentes ea docerem, quae non ſolum alere ingenia, formare mentem, ueterum libros illuſtrare poſſent, ſed in primis commodiſſimam ipſis latius aperirent ad reconditiores litteras uiam. In his poſtremum locum non occupat notitia Romanorum conſulum, quae uariis de cauſſis tot ſcatet difficultatibus, tot obſcuratur implexis nodis ac dubiis, ut ſummi etiam in hoc genere ſtudiorum uiri iis remouendis ſoluendisque ſe aperte ſint confeſſi impares.

Neque ego tantum mihi ſumo atque arrogo, quaſi is ſiem, qui haec ſoluere aut tollere queam, a quo tam longe abſum, quam qui longiſſime. Verum plane aliam, quam qui primi faſtos condiderunt, uiam ingreſſus uideor mihi plurimum ſi non lucis, ſaltem commodi aliquid rudioribus ac minus exercitatis attuliſſe! Nam iuxta ſeriem elementorum alphabeti conſulum nomina et cognomina ita fere digeſſi, ut ſi uel unius memineris, haud moleſte ſis et annum et in conſulatu collegam detecturus. Notulas breuiores ſubieci, in quibus corrigere ſtudui corrupta in hunc uſque diem in plurimis ſcriptoribus conſulum nomina, male ſupputatos honoris annos, ac praeterea, ὡς ἐν παρόδῳ, *etiam uaria legum in utroque corporis Iuſtinianei uolumine, Digeſtis uidelicet ac Codice, emendare, ac reſtituere loca corruptiſſima. Quem laborem uobis, academiae patres, in grati atque memoris animi indicium a me dicatum conſecratumque, cum quod ſitis ipſi urbium, academiae, curiaeque Gelriae no-*

ſtrae praeſides ſcientiſſimi atque integerrimi, tum quod nocturna diurnaque manu ſanctiſſimas Iuſtinianei, addam et Theodoſiani, corporum leges ſoleatis quam diligentiſſime tractare, atque in omnibus iudiciis prudenter adhibere, diligenter ac ſtudioſe ſequi: denique ut cognoſceretis, me praeſidium, in quo a uobis ſum collocatus, non modo non deſerere, ſed ita laborare, ut opera, ſtudio, labore meo ciues noſtri fiant doctiores, quem dico laborem ueſtris illuſtriſſimis nominibus inſcriptum rogo ſereno uultu uelitis adſpicere, meque continuo ueſtro fauore tueri atque proſequi, qui calidiſſimis precibus obnixe Deum T. O. M. uenerabundus oro, uelit uos, uiri generoſiſſimi, utriusque rei publicae fulcra et columina firmiſſima, diu incolumes atque laetos intereſſe ueſtris, populo, ac ſeros in caelum redire. Dab. Harderouici a. d. XVIII. *Kal. Mai.* CIↃ IↃ CC V.

LECTORI
BENIVOLO
S. P. D.
THEODORVS IANSONIVS
A B
ALMELOVEEN.

Quum fere praeuideam, hoc tempore, quod abundat liberioribus et luxuriantibus ingeniis, qui libelli huiusce titulum oculo ſeu curſorio, ſeu liuido inſpicientes, mirabuntur non modo, uerum exprobrabunt, me bonas horas male collocaſſe ea in re, quae ipſis audiet fortaſſe repetita crambe: credidi me conſulturum optime, quem non leuem adhibui, aut ſaltem adhibere ſum conatus, labori, ipſo

in limine ſi aperiam quis ſit meus ſcopus, quis ſuſcepti laboris finis, quid unice minatus ſit arcus, an ferierit tu iudicabis, lector beneuole.

Romanorum conſulum hiſtoriam, ſeu potius ſeriem, quae ex tribus hiſce, *libris* uidelicet, *numiſmatibus*, atque *lapidibus* colligitur, ab aliquot annis paullo attentius euoluere poſtquam occeperim, dicere non poſſum, in quas inciderim tricas, quot quantosque offenderim continuo Gordios plane Herculeosque nodos, quibus ſoluendis uix Alexandri Magni ſufficeret gladius. Hiſce me ut expedirem, quaeſiui diligenter optimos quosque auctores, qui me iuuarent, ac manu quaſi ducerent ad ea, quae in abdito latere frequentiſſime deprehendebam. Verum tantum abeſt, ut fuerint adiumento, ut non ſemel haeſitantem plane reddiderint dubium, quin immo longe incertiorem. Conſulti ſaepe numero uiri ſummi reſponderunt, et ſibi in hiſtoria ſeu ſerie conſulum Romanorum, quae haud infima doctri-

doctrinae elegantioris pars eſt, haerere aquam, exoptare praeterea uehementer, ut exoriatur aliquando aliquis commodiore ordine nomina conſulum qui diſponeret, atque ſcriptorum, lapidum, numiſmatumque auctoritatibus corrigeret atque illuſtraret. Plurimos quidem reperiri faſtorum libros, uerum in ſingulis aliquid deſiderari, in omnibus ordinem ſeu pleniſſimum indicem, quo poſſet protinus inueſtigari, in quem annum urbis, ut et natalis Chriſti, eorum conſulatus inciderint. Difficile admodum praeter haec eſſe diſtinctu, fuerintne *ordinarii*, an uero *ſuffecti*: iidemne, an diuerſi, quotiens uel ſimplicia nominum prima elementa, uel ſola nomina, uel nuda cognomina eadem occurrant, quae non niſi ex cognominibus, aut oppoſitis in conſulatu contubernalibus, i. e. collegis, queant dignoſci. Vnde rectiſſime obſeruauit ANDREAS SCHOTTVS *Obſeru. human. III*, 34. nominum affinitatem et uocum cognationem plurimas tenebras antiquitatum ſtudioſis

dioſis obfudiſſe. Neque id ſolum noſtris frequens eſt ſeculis poſterioribus, uideas enim id etiam longe anterioribus eueniſſe, teſte A. GELLIO *Noct. Attic. XIII*, 19.

Vt autem maximo huic incommodo ſuccurrerem, primum et quidem unice contendi omnes inſpicere atque euoluere faſtorum annaliumque Romanorum auctores, quo cognoſcerem, quid quisque ſuo labore, ſua uigilia praeſtitiſſet. Verum adeo felici mihi eſſe non licuit, quando quidem ex primis faſtorum conditoribus aut nulli, (perierunt enim AVSONII, quos ſe confeciſſe agnoſcit), aut ex Capitolinis paucae ſuperſint tabulae naufragae: ex poſterioribus uero pauciſſimi non niſi inſano ſaepe pretio ſumma difficultate comparentur. Quodſi tamen alicui contigerit, is uſu experietur, I. eorum libros forma maiori excuſos admodum incommodos uſui quotidiano, II. quoſdam, ſiue materiae preſſi mole, ſiue defectu, adiumentorum, ſiue immatura morte

morte fuerint praeuenti, ſiue quo alio modo impediti, exorſam telam non pertexuiſſe, uti patet ex S. V. PIGHIO, in quo erant plurimae litterae, nec eae uulgares, ſed interiores quaedam et reconditae, operi ad A. V. C. Iↄ ccc XXI. perducto immortuo.

CAROLVS SIGONIVS, uir ingenio praeſtans, omnique doctrina, pluribus et illuſtrioribus litteris qui uarios auctores explicauit, non proceſſit ultra A. V. C. Iↄ cc LXVI. *Anonymus* a NORISIO editus deſinit A. V. C. cIↄ c VII. Verum totam ſeriem abſoluerunt *Faſti Idatiani*, HENRICVS GLAREANVS, GREGORIVS HALOANDER, ANTONIVS CONTIVS, et egregius Caſſiodori interpres IOANNES CVSPINIANVS. ONVPHRIVS PANVINIVS, quem quod ſit ſequutus Baronius, ſcribit ſe poenitere: at ea propter Baronium arguit Noriſius, qui e contrario uſque adeo probat Panuinium, ut eius faſtorum defenſionem concinnatam ſe publicaturum promiſe-

miſerit *). Ratio eſt, eodem auctore in *Epiſtola conſulari*, quod is ſumma diligentia conſules ex lapidibus collegerit, quamuis mox addat, eumdem Panuinium, uti et Pighium, plurimos ſuffectos conſules finxiſſe. Conſules porro omnes enumerarunt VBBO EMMIVS, IACOBVS GORDONVS, SETHVS CALVISIVS, DIONYSIVS PETAVIVS, (ſed is Panuinii faſtos exſcripſit, ſemel atque iterum iisdem correctis **), THOMAS LYDIAT, ANTONIVS PAGIVS, qui tamen cum primo Iulii Caeſaris conſulatu A. V. C. Iↄ c LXX. demum incipit; forte ſequutus exemplum WOLFGANGI FREYMONII, cuius *Symphonia iuris utriusque chronologica* edita eſt cIↄ Iↄ LXXIIII.

Nec eſt, quod quis miretur, perplexam admodum atque intricatam faſtorum Romanorum materiam, quum uel primis, id eſt, iam Liuii temporibus annales fuerint

* *Addend. ad hiſtor. Pelag. pag.* 212.

** NORIS. *Epiſt. conſul.*

rint inaequales, teſte ipſo LIVIO uariis in locis, ut II, 21. VIII, 23. 26. VIIII, 15. SVLPICIO SEVERO II, 13. ac VELLEIO PATERCVLO II, 63. Difficilem porro expoſitu reddiderunt ipſi ſcriptores antiqui, quorum TITVS LIVIVS omittit cognomina pleraque, uti e contrario VALERIVS MAXIMVS praenomina, quod GLAREANVS et COLERVS iam olim obſeruarunt. Sic PLINIO ac VELLEIO PATERCVLO nihil familiarius, quam cognomen gentilitio praeponere *). Sic praenomina nominibus ſaepius poſtponi nouum non debere uideri, dixit magnus GRONOVIVS **). Addas ante omnia neceſſe eſt, tenebras offudiſſe grauiſſimas, quod, quemadmodum rectiſſime animaduertit magnus CASAVBONVS, ſuffectorum nomina perierint: illa uero, quae ſuperſunt, ab antiquis hiſtoricis neglecta conqueritur PIGHIVS, quem tamen eiuſdem in-

* HARDVIN. *ad* PLIN. *Hiſtor. natur. VII*, 43.
** *Ad* LIV. *III*, 1.

incuriae accuſat LYDIAT. Sed probe ut cognoſcas, beniuole lector, quid emolumenti, quid auxilii complectantur, quid laboris leuaminis in ſe contineant, quosnam utilitatis fructus tibi ſint praebituri hi, nouo ac inuſitato more digeſti, conſulares faſti, paucis quaedam commoda, forte non mediocria, accipe.

Docebunt ante omnia, maxime autem liber prior, cum Muſarum ſacris initiatos rudiores, tum aetate ac ſtudiorum progreſſibus prouectiores memoriam infirmam ac labilem habentes, hiſtoriae ſeu potius Romanae chronologiae ſeriem rectam ac continuam, unice, ſi quod aliud, neceſſariam. Poſterior uero commentarius, maioris longe uſus et utilitatis tradet ICtis reſcriptionum, conſtitutionum, edictorum, legum, SCtorum, certa atque emendata, quibus condita fuerunt, tempora. Demonſtrabunt in legibus earumque ſubſcriptionibus corrupta quo modo reſtituenda ſint conſulum nomina: ut in *L.* 8. *D. de quaeſtion.* ubi mendoſe

ſe excuſum eſt: *Lucio Aproniano et Vibio Auito coſſ.* cum ex GRVTERI lapide legendum ſit: *Lucio Apronio et A. Vibio Habito coſſ.* ad quem locum CHARONDAS notauit horum conſulum mentionem facere DIONEM CASSIVM, quos tamen hactenus fruſtra ibi quaero. Indicabit Valerium Maximum, Plinium Secundum, aliosue eius generis ſcriptores legenti, quis quibusue coſſ. i. e. quo anno haec uel illa acta. Si quando rarius aliquod aut inuſitatum offenderis in lapidibus aut ſcriptoribus uerbum Latinum, mox ſubſcriptorum conſulum inueſtigatis nominibus diſces, cuius ſit ſeculi, atque adeo auctoritatis. Praeter oppoſitarum regionum, (alii enim fuerunt *orientales*, alii *occidentales*), diſtinguere ac dignoſcere ex hoc ſyllabo diſces conſules ſuffectos ab ordinariis, etiam cum uel quatuor ſimul occurrant, ueluti in *L.* 20. *S.* 6. *D. de heredit. petit.*

Quod ſi par conſulum uideris ſubſcriptum, quorum alter eſt ordinarius, alter

ſuffectus, inſpectis hiſce faſtis e ueſtigio reſciſces, quis Kalendis Ianuariis magiſtratum inierit, quis in alterius ſuffectus ſit locum, cuius exemplum legere eſt apud GRVTERVM *pag.* 299. ubi citatorum conſulum *L. Scribonius* eſt ordinarius, *L. Sempronius* ſuffectus. Ita in *L.* 3. *C. de ſeru. reip. manumitt.* deprehendes coniunctos *P. Iuuentium Celſum* et *C. Neratium Marcellum*, quorum prior ordinarius, poſterior ſuffectus fuit. Neque aliter ac ſi ambo fuerint ordinarii a CVSPINIANO atque FREYMONIO numerantur *C. Octauianus XI.* et *Cn. Calpurnius Piſo*, cum tamen *Piſo* in alterius ſuffectus ſit locum. Docebunt praeterea hi commentarii maiores atque haeſitantes, in Codice Hermogeniano, Gregoriano, Theodoſiano, ac Iuſtinianeo omiſſa apponere conſulum nomina, decurtata ac reſecta ſupplere etiam imperatorum, e quibus grauiſſimi ſaepe enati ſunt errores. Nam ſi quis minus exercitatus incidat in *Valent.* aut *Conſtant.* dubius haerebit,

ſitne

ſitne *Valentiniano*, an *Valente*, et *Conſtante*, an *Conſtantino coſſ.* lecturus. Praeter haec ſi praenominis omiſſa ſit littera, ex quibus tamen conſul dignoſcitur, quaenam ſit praefigenda littera, ut apud FRONTIN. *Strateg. I*, 2, 7. *Aemilius Paullus* conſul, quis eum diſtinguet ab *Aemilio Paullo cap.* 4. memorato, niſi praenomine? Immo harum litterarum omiſſio quasnam parit tenebras? Quis enim eſt ille apud eumdem FRONTIN. *Strateg. IIII*, 1, 22. *Aurelius Cotta*, cum tot fuerint praenominibus qui diſtinguantur.

Tandem inſcriptionum antiquarum collectores diligentiſſimi atque illuſtratores ſapientiſſimi hoc faſtorum conſularium indice, modo inſpicere non dedignabuntur, detegent unam eamdemque epigraphen in magno GRVTERI uolumine bis occurrere, quemadmodum pauculis ſubiectis aperte diſcere eſt exemplis. Epigramma enim, quod occurrit *p.* 8. *n.* 3. reperitur infra *p.* 1006. *n.* 5. Quod

p. 45. *n*. 9. infra *p*. 1029. *n*. 1. Quod *p*. 74. *n*. 6. infra *p*. 130. *n*. 2. Quod *p*. 386. *n*. 1. infra *p*. 497. *n*. 13. Quod *p*. 1022. *n*. 1. infra *p*. 1087. *n*. 10 Addam eos mox deprehenſuros eamdem apud alium ſcriptorem occurrere. Nam quam GRVTERVS dederat *p*. 115. *n*. 1. ut ineditam profert SPONIVS *Inſcr*. *p*. 263. qui forte Gruterum non conſuluit.

Plures, ſilentio enim tranſeo quam facile antiquorum ſcriptorum uetuſtas, lapidum antiquitas, numiſmatum aetas, hac ſerie inueſtigantur, poſſem enumerare utilitates non exiguas, quibus opuſculum hoc commendarem cuiusuis diſciplinae litterariae ſtudioſis, ſed ne uidear hederam appendere uelle meis, aut propria laudare, multo malim ipſius, beniuole lector, experimento ac uſu diligenti commoda experiaris. Ceterum de ipſa conſtructione ſeu congeſtionis modo haec habeto. In priore libro ſequutus ſum annorum ſeriem atque conſulum nomina, reſtituto tamen ex LIVIO peruerſo ordine,

ne, prout PIGHIVS illa exhibuit, quo abrumpente filum, preſſi ueſtigia SETHI CALVISII, quoniam et is poteſt facile comparari, et quod nonnumquam ab aliis omiſſos enumeret, conſules ſuffectos. Scriptorum loca, quibus conſulatus confirmarem annos, reieci in commentarium ſecundum, ne idem dicerem bis, licet tamen ſaepius commodi cauſſa auctores repetierim. Suffectos, quo ſtatim poſſent ab ordinariis dignoſci, alio charactere litterarum, id eſt, Italico, (typographi *curſiuum* appellant,) iuſſi ſubiici, appoſito, modo potuerim inueſtigare, ſuffectionis menſe. Decemuiros atque tribunos militares conſulari poteſtate in priore libro, adiecto honorum titulo, diſtinxi.

Verum in commentario poſteriore prorſus aliam ingreſſus uiam, hactenus, quantum ſcire licuit, a nemine monſtratam, ordine alphabetico conſulum nomina, ſed praecipue cognomina, caſu ſexto, ad exemplum legum, lapidum, ac ſcripto-

rum ueterum expreſſi, ſequutus in hiſce *faſtos Anonymi* a NORISIO editos, omnium, qui hactenus prodierunt, accuratiſſimos, iudice PAGIO, quem tamen anonymum deprehendi me aliquando in errores duxiſſe, quos, ſi enormes forent, ex parte correxi, reliquos emendaturus, ſi quando auida diſtractio curas ſecundas exegerit.

Praenomina, nomina, uel cognomina, quae deſiderabantur, ſiue in ſcriptoribus, ſiue lapidibus, undecumque colligere licuit, ex PIGHIO, CALVISIO, LYDIAT, aliiſque appoſui, hac uſus cautione, ut ſi quando differrent, ſequerer plurimorum in iis exprimendis ſententiam. Quo autem facilius diſtinguerentur, alio charactere deſcripta uides, quare conſulum quorumdam nomina inueſtigaturo attendendum eſt ad ſola nomina *Romanis* litteris excuſa. Quod ſi ex conſulibus inueſtigandis unus fuerit ſuffectus, ipſius nomini proxime affixum eſt uerbum *ſuff.* Sin uero uterque ſuffecti, in medio,

medio, paullo tamen remotius eadem reperitur uox. Ne quis tamen imperitior decemuiros, tribunoſue militum conſulari poteſtate confunderet cum conſulibus ſiue ordinariis, ſiue ſuffectis, eorum nominibus aſteriſcum adſcripſi; quod idem feci in catalogo praefectorum urbi, quo ſtatim in oculos incurrerent ii, de quibus ambigitur, fuerintne praefecti urbi, an praetorio, qui duo in Codice Iuſtinianeo ac Theodoſiano frequentiſſime confunduntur. Annos quod attinet, eorum in primo libro ſeruaui calculum PIGHII, in ſecundo tam in deſignandis urbium, quam natalis Chriſti annis, ſequutus ſum calculum *Anonymi* a NORISIO editi, quem cum plerisque aliis, ut perfectiſſimum conuenire deprehendi. Tandem ingenue fateor, me uti plurimas, ſic grauiſſimas offendiſſe tenebras in praenominibus, ac prae ceteris in praenominum litteris, quae mirum in modum uariarunt cum apud ſcriptores, tum apud lapidarios, adeo ut haud raro anceps ac dubius plane haeſe-

rim, ſaxane ex libris ſcriptis, an uero manu exaratos codices ex lapidum inſcriptionibus emendarem. PIERIVS VALERIANVS * ait, ſaxa non adeo abradi, aut transſcribi marmora, ueluti codices, quare is potiſſimum lapides ſequendos putat, alii, quod lapidarii fuerint homines imperiti, contrarium contendunt, quae uarietas, ſi non, ut ita loquar, aduerſitas me eo perduxit, ut ſtudioſe ſim adnixurus in curis ſecundis ſingula quaeque obſeruare, quo tandem unus quisque optima, quae uidebuntur, poterit eligere. Studui tamen ante omnia meam methodum, meamque ſententiam confirmare et defendere auctoritate lapidum, quos re uera peſſime habitos ſaepe ac deſcriptos non inficior. Ex editorum lapidum tamen codicibus, aliisque accuratiſſime editis ſcriptoribus, quos comparare atque inſpicere potui, ipſemet conſulum nomina diligenter collegi, quo conſtaret, me proprium

* *Ad* VIRGIL. *Aeneid. VII*, I.

prium et quaſi nouum opus condidiſſe. In reliquis imploraui uirorum hiſce in litteris uerſatiſſimorum opem et auxilium. Quo in genere cum facile princeps ſit ampliſſ. et nobiliſſ. CVPERVS, non poſſum non ſubiicere ac tecum communicare, quae ad me nuper in erudita, qualia omnia eius agnoſcit et ſuſpicit eruditus orbis, epiſtola ſummus ille uir perſcripſit.

* * * *

Reliquae epiſtolae tuae nihil mihi uideo eſſe reponendum, niſi quod ſperem WESTENBERGIVM inuenturum in Pandecte locum, quem ante oculos habuit DODWELLVS, quamquam credam uirum profundae ſed obſcurae eruditionis non ſatis attentum fuiſſe, cum ſcriberet, Tiberium *diuum* appellatum eſſe.

Ex BVRMANNO noſtro intellexi, Faſtos tuos gnauiter procedere, et amicos Vltraiectinos, quibus illos oſtendiſti, ualde opus illud, et diligentiam tuam laudare. Quid ipſe ſenſerim, cum tecum Harderouici eſſem, et quae currenti addiderim calcaria, non puto te oblitum eſſe, utque re ipſa oſtendam, me conatibus tuis fauere, eosque omni modo uelle adiuuare, non iam mittam FABRETTVM, ſed complures inſcriptiones ineditas, (niſi tamen earum aliquae ſint uulgatae), quas olim beneficio IO. GE. GRAEVII ex *Inſcriptionibus* MARQVARDI GVDII excerpſi,

quibus ſi quae inſunt, conſulum paria, quae in aliis non inueniſti; aut quae maiorem lucem accendunt, uiris ſumma auctoritate, et dignitate, erit certe quod laeter maiorem in modum.

* * * *

I.

[*Pag.* 2. *num.* 8.]

IOVI. CLITVMNO.
OPT. MAXIMO. CONSER
VATORI. AVG. N̄. SACR.
C. IVLIVS. C. F. ARNIENS. FE
ROX. TRIBVNVS. LEG. XX
AVG. ET. T. LEPIDVS. T. F. AR.
SALVIANVS. PRAEF. COHOR.
SPECVLAT. EIVSD. LEG.
VOT. SOL. L. M. KAL. IVN.
M. AIMILIO. LEPIDO. ET. TITO.
STATILIO. TAVRO. II. COS.

Hi conſules fuerunt A. V. C. 764. ſub Auguſto. Inſcriptio inuenta eſt in Vmbria, procul dubio ad fontem Clitumnum, cuius de cultu et religione uideri poteſt PLINIVS *Libr. II. epiſt.* 8. et cum ibi dicat, *ſparſa eſſe circa ſacella complura, totidemque dei ſimulacra, ſuam cuique uenerationem, ſuum nomen fuiſſe*, hic unum eius nomen habes, nempe *Iouem Clitumnum*, quamquam alii apud PLINIVM legant *numen*. Et obſeruandum diligenter, *Iouis* nomen etiam breuibus diis, quales fontes, datum eſſe: huius Clitumni meminit VIB. SEQVESTER: *Clitumnus Vmbriae, ubi Iupiter eodem nomine eſt*; et ita poteſt appellatus fuiſſe *Clitumnus*, cuius ſtatuam deſcribit PLINIVS, utpote primus et praecipuus.

II.

* * * *

II. *Aricii.*

[*Pag.* 30. *num.* 1.]

DIANAE. ARECINAE.
ET. VIRBIO. SACR.
CORP. LVTORVM.
APVD. BONAE. DEAE.
SACEL.
D. D.
SVB. CLIVVM. ARIC.
T. TAEDIVS. SACERDOS.
SOL. ET. BONAE. DEAE.
ET. M. POMPONIVS.
PATRON. COLLEG.
QVINQVENN. II. F. C.
KAL. MART. L. ANNIO.
VERO. ET. AVR. AVGVRI
NO. COS.

De *Lutoribus* alibi egi: hi conſules fuerunt A. V. C. 874. ſed ab aliis uocatur unus *Augur*, cum cognomen eius ex inſcript. pateat eſſe *Augurinus*.

* * * *

III. *Romae.*

[*Pag.* 66. *num.* 7.]

GEN. VEN. P. R.
M. IVNIVS. L. F. PAL. SERVILIANVS
PRAEF. VIG. COH. VI. VAL.
ET. L. IVNIVS. PRISCVS. CVRATOR.
EIVSD. COH. D. D. VI. KAL. IVN.
CRISPINO. ET. AELIANO. COS.

Hi

Hi conſules fuerunt ſub Commodo A. V. C. 940. *Genii Venalici* mentio in diuerſis inſcriptionibus apud GRVTERVM. In una apud me inedita legitur plenius: GENIO VENALITIO.

* * * *

IIII. A.

PLVTONI. NERVIANO. ET. PROSERPINAE.
NERVILANIAE. SACRVM. KAL. IVN.
L. D. D. D. AMITERN.
M. AVRELIO. ET. L. AELIANO. COS. *
NERVLANIA. OLYMPVSA. SACERDOS.
ET. NERVIANVS. FEROX. HIEROPHANTA.

Quo anno *M. Aurelius* et *L. Aelianus* conſules fuerint, non inuenio; et tuum erit in eos inquirere. In linea penultima ſcribendum uidetur NERVILANIA; et ita puto a Neruiano et Proſerpina Neruilania cognomina habent, a priuatis ſcilicet, qui iis uel ſtatuas uel ſacella collocauerant; id quod in aliis plurimis monumentis obuium eſt.

* A. Chr. 163.

* * * *

V. *Romae.*

[*Pag.* 77. *num.* 9.]

FIGLINA AMAZONIA.
in uno latere
P. ASSI. AMAZONI. FIGL. MARVLLO.
E. AELIANO. COS.

Hi

Hi conſules fuerunt A. V. C. 937. ſub Commodo, ut patet ex *Faſtis* editis a NORISIO. Hinc puto ab aliis male appellari *L. Eggium Marcellum*, et *Gn. Papirium Aelianum*: Figlina autem *Amazonia* uidetur a Martia, Commodi concubina, nomen habere, et forte in praeced. inſcript. ſcribi debet *Marullo*, pro *M. Aurelio*, qui iidem conſules etiam memorantur apud GRVTER. *pag* 25. *num.* 12.

* * * *

VI. *Via Aurelia.*

CERERI. AVGVST.
MATRI. ACI.
L. BENNIVS. PRIMVS.
MAG. PAGI.
F. BENNIA. PRIMIGENIA.
MAGISTRA. FECERVNT.
GERMANICO. CAESARE. II.
L. SEIO. TVBERONE. COS.
DIES. SACRIFICII. XII. K. MAI.

Et hoc par conſulum in faſtis a me non inuenitur: *Germanicus II.* conſulatum geſſit A. 771. cum Tiberius tertium, et primum cum Capitone A. 765. Puto SVETONIVM nobis opitulari, cum ſcribit, Tiberium *geſſiſſe tertium conſulatum abſentem uſque ad Idus Maias;* et me poſſe ſtatuere, *Tuberonem* illi ſuffectum eſſe, id quod certe arbitratur PIGHIVS, apud quem eamdem inſcriptionem reperio, et AGR. pro ACI. id eſt, *matri agrorum;* ſed ſi monumentum hoc poſitum ante diem ſacrificii XII. Kal. Maii, ut omnino uidetur, ſequitur Tiberium ante idus Maias conſulatum depoſuiſſe, uel apud SVETONIVM ſcribi debere

bere *Martias;* niſi uelis extremo anno illo dedicatum eſſe. Habes hic autem illuſtre exemplum, *conſule ordinario* et *altero ſuffecto* annum ſignari. Apud GRVTERVM etiam *pag.* 26. ſcribitur AGR. quod tamen epithetum non occurrit *pag.* 1010. *num.* 3. uti in indice legitur, ſed ibi ſcriptum eſt CERERI. SACR. quomodo et in altera apud MANVTIVM exhibetur. ACIS ceteroquin fluuius eſt Siciliae, et Nympha; ſed puto melius eſſe alteram lectionem amplecti, quia Ceres optime dicitur *mater agrorum*, et Nympha illa non uidetur culta fuiſſe in Italia. Illud autem addendum omnino, in aliis inſcriptionibus memorari ſimul conſules ordinarios et ſuffectos, uti A. 908.

SVBSCRIPSI. III. NON. NOVEMB. ANTIO.
POLLIONE. ET. OPIMIANO. KOS. ORDI
NARIS. SEVERO. ET. SABINIANO. COS.

id quod iam notauit etiam ONVPHRIVS: et tamen in *Faſtis* a NORISIO editis legitur *Seuero et Sabino*, qui fuerunt ſuffecti, id quod et in aliis obſerues.

* * * *

VII. *Romae.*

[*Pag.* 15. *num.* 6.]

CERERI. ET. ANNONAE. AVG.
SEX. PETRONIVS. L. F. QVIR.
HERCVLANVS.
PRAEF. COHOR. PRIM.
ADIVTR. PRAEFEC. PROVINC.
HISPANIAE. INFER.
PROCVRATOR. PROVINCIAE.
CAMPANIAE. ITERVM.

PRAE-

PRAEFEC. ANNONAE.
D. D. KAL. AVG.
IVLIO, SILVANO. ET. M. VIBVLLIO. AVGVRINO.

Hi fuerunt conſules ſub M. Aurelio A. 909. et hinc patet, Plautium Siluanum praenomen habuiſſe *Iulii*, et Augurinum *Marci*, nomenque *Vibullii.*

* * * *

VIII. *Romae.*

[*Pag.* 68. *num.* 5.]

GENIO. HORREORVM.
PETRONIANORVM.
ET. DOM. CONSERVAT.
SACRVM.
L. PETRONIVS. M. F.
QVIR. NEPOTHNVS.
PRAEFECTVS.
ANNONAE IT.
DEDIC. III. KAL. MAI.
T. AELIO. HADR. ANTONINO. PIO. AVG.
VII. ET. M. AVRELIO. II. COS.

Anno 893. in faſtis dicuntur fuiſſe conſules, *Antoninus III.* et *Aurelius Caeſar*, qui in nonnullis male *Aurelianus* uocatur, et ex hoc lapide diſcimus, hunc M. Aurelii Caeſaris fuiſſe ſecundum.

* * * *

VIIII. *Via Flaminia.*

[*Pag.* 2. *num.* 1.]

IOVI. PATVLCIO. ET.
IVNONI. PATVLCIAE.

D. D.

D. D. PRID AVG.
C. CAESIO. LONGINO. ET.
SEX. DOMITIO. CALVINO. COS.
L. CALPVRNIVS. L. F. PAL.
MESSALINVS.
PRAEFECTVS. FABR. OST.
IIII. VIR. QVINQ.
DE. SENATVS. SENTENTIA.
AEDEM. FACIENDAM.
COERAVIT. EI. P.

Hos conſules non inuenio. Ex uoce AVG. patet, eos fuiſſe ſub Caeſaribus. *Ianum Patulcium* celebrat OVID. *libr. I. Faſtorum*, ubi cognominis Deo illi dati rationes uideri poſſunt.

* * * *

X. *Romae in foro Traiano.*

[*Pag.* 86. *num.* 1.]

D. D. K. AVG. LVSTR. XVIII.
M. CALPVRNIO. PISONE. ET. L. RVSTICO.
IVNIANO. BOLANO. COS.

Eſt finis inſcriptionis longiuſculae, quam Traiano poſuerunt *Cumaei*, *Trebiolanaei*, et alii Italiae populi; dedicata procul dubio ſtatua Traiano, ſub quo A. 864. conſules illi fuerunt, qui ab aliis male nominantur *C. Calpurnius Piſo*, qui hic *Marci* praenomen gerit, et *M. Vettius Bolanus*, id quod longe aliter ſeſe habet in marmore. Quid autem ſibi uelit *luſtrum XVIII.* uix uideo: ſi integri illi numerentur, facient annos 90. qui deducti ab anno conſulum eorum reddunt nobis annum 774. quo conſules fuerunt Tiberius Caeſar

Caeſar IIII. et Druſus Caeſar II. Inuenio apud FABRETTVM X, 288. alterius luſtri fieri mentionem:

D. M.
C. VALERI. SOCRATIS.
M. QVINQVENNALIS.
COLLEGI. FABRORVM.
TIGNVARIORVM. LVSTRI. XXVII.

In *IIII*, 7. apud eumdem, nec non apud GRVTERVM *pag.* 358. *num.* 1. *Antonius* quidam dicitur fuiſſe *quinquennalis* COL. FAB. OST. LVSTRI. XXV. et in alia apud GRVTERVM *pag.* 360. *num.* 2. Aquilius Modeſtus Magiſter - - - - eiusdem collegii LVSTRI. II. Quae luſtra forte ſunt numeranda ab inſtitutione iſtius collegii; et ita *certamen Iouis* Capitolini per *luſtra* deſignatur, et *ſextum* ab inſtitutione occurrit *pag.* 333. *num.* 3. id quod iam notauit illuſtris SCALIGER *pag.* 482. *de emendatione tempor.* praeterea *pag.* 411. *num.* 2. QVINQ. COLLEGII. FABRVM. TIGNARIORVM. LVSTRO. XVII. HONORAT. ET. LVSTRO. XVII. CENSOR. BIS. AD. MAG. CREANDOS. LVSTRO. XVIIII. ET. XX. IVDEX. INTER. ELECTOS. XXI. AB. ORDINE. LVST. XXII. Sed nihil tale de *luſtro* inſcriptionis ineditae dici poteſt, quia non a quodam collegio, uerum a uariis populis Italiae poſita fuit. In alia *pag.* 9. *num.* 5. apud GRVTERVM fit mentio LVSTRI DAMARIONIS, qui ſcilicet erat ſacerdos quinquennalis iſtius collegii.

* * * *

X I. *Romae.*

[*Pag.* 11. *num.* 2.]

IOVIS. M. PROPVGNA
TORIS. SVPPR. D. D.
KAL. DECEMBR. MA
TERNO. ET. BRADVA. COS.
L. ALLIVS. COILLVS. VERVS.
COOPTATVS. IN. AEDE.
S. P.

Hi conſules fuerunt ſub Commodo A. V. C. 938. memoranturque etiam apud GRVTERVM *pag.* 192. *num.* 13. SVPPR. uidetur eſſe *ſupremi;* et litteras geminari frequens eſt, neque enim auſim inde facere SVPPRESSORIS, qui hoſtes opprimit uel ſupprimit.

* * * *

X I I. *Ibid.*

[*Pag.* 75. *num.* 3.]

RVST. PRAEFECTVS. PRAET
ORIVS. TABERNACVL. AQVILI
FERVM. LEG. II. ITALICAE. D. D.
KAL. MART. FL. DOMITIANO.
AVG. III. ET. C. VALERIO. MESSAL
LINO. COS.

A. V. C. 826. conſules uulgo dicuntur fuiſſe *Domitianus Caeſar II.* et *M. Valerius Meſſalinus;* ſed ex marmore patet, ultimum habuiſſe praenomen *Caii*, et in hac inſcriptione ſcribendum omnino AVG. F. II. ne-

II. neque enim Domitianus uiuis patre et fratre *Auguſti* titulo honoratus eſt. De *praefecto praetorio* egi in *Hiſtoria III. Gordianorum.*

* * * *

XIII. *Ibid.*

[*Pag.* 42. *num.* 7.]

TEMPLVM. SILVANO.
SANCTO.
EX. ORAT.
L. SAVFFEIVS. L. F. HEMVS.
MENSOR. AEDIFIC. PVB.
V. S. L. M. D. D.
XVII. KAL. IVL. D. N. GRATIA
NO. IIII. ET. MEROBAVDE. COS.

Hi conſules fuerunt A. V. C. 1130. EX ORAT. procul dubio eſt una uox, nempe EXORATO: quomodo et *Iſis exorata* obuia eſt apud GRVTERVM *pag.* 83. *num.* 9. et huc quadrat Hercules Ἐυάκουςος apud eumdem *pag.* 49. *num.* 1. et Ἄρτεμις Ἐπήκοος *pag.* 40. *num.* 10. Iſis Ἐπήκοος *pag.* 73. *num.* 1. et HERC. EXORATVS in inſcriptione uigeſima prima earum, quas nunc mitto.

* * * *

XIIII.

[*Pag.* 15. *num.* 2.]

CERERI. ET. PRO
SERPINAE. SACRVM.
DIVAL. II.
L. TITVLEIVS. T. F. SVC. AMAN

DVS. CVRA. REGION. CAEL.
SIGN. CONSECRAVIT. ET. DEDI
CAVIT. QVINQVENN. II.
III. IDVS. MART. IMP. FL. DOMITIA
NO. CAES. X. ET. T. AVRELIO. SAB.
COS.

Hi conſules fuerunt A. V. C. 837. legiturque apud NORISIVM: *Domitiano X.* et *Sabino*, cuius hic nomen et praenomen uides, quique aliis appellatur *Appius Iunius Sabinus*, procul dubio male. Quid *ſacrum* DIVALE, neſcio, occurrunt et illa ſacra in binis apud me ineditis itidem, quas tecum communicabo, ſi id exigas: et apud GRVTERVM *pag.* 133. DIV. N. P. ubi exponuntur *Diualia*, i. e. *Angeronalia*. MACROB. VARRO.

* * * *

X V.

[*Pag.* 43. *num.* 10.]

A. BVPOLA. TI. CLAVDI. AVG.
LIBERTA. LIBERO. PA
TRI. CONSENTI. D. D.
KAL. MART. L. QVINCIO. CRI
SPINO. II. ET. M. STATILIO. TAV
RO. COS.

Hi conſules fuerunt A. V. C. 797. Apud NORISIVM in *Faſtis* male unus appellatur *Criſpus*; et in aliis non ſatis bene ſcribitur *C. Quintius Criſpus*, *T. Statilius Taurus II.* qui hinc emendari poſſunt: et hic *Taurus* poteſt filius eſſe *T. Statilii Tauri*, qui conſul fuit, uti antea oſtendi, A. V. C. 760. et quidem apud

pud me legitur: CERERI. CONSENTI. ET. CONSENTIAE; et itidem: CERERI. FRVGIFERAE. ET. LIBERO. PATRI. CONSENTI. SACRVM. Et apud GRVTERVM, *pag.* 3. *num.* 2. 3. I. O. M. CETERISQ. DIS. CONSENTIBVS; et I. O. M. DIS. DEABVSQ. PVB. CONSENTIBVS; et in inſcriptione prima eiuſdem paginae: CONSENTIO DEORVM, quomodo uidetur uocari *Deorum Conſentium Collegium*, de quibus quae dici poſſent, nota ſunt.

* * * *

XVI. *Romae.*

[*Pag.* 33. *num.* 4.]

HERCVLI. CVSTODI.
COMITI. CONSER.
SACRVM.
L. CVRIVS. I. F. PAL. ASPER.
PRAEFECT. PEREGRIN.
VOT. SOL. LIB. MER.
SVA. PECVN. DEDIC.
KAL. MART. T. VESPASIANO.
AVG. III. ET. - - - - - - - - COS.

Veſpaſianus conſul III. A. V. C. 824. collegamque habuit *Neruam*, cuius nomen excidit.

* * * *

XVII. *Via Aurelia.*

[*Pag.* 18. *num.* 5.]

CORVNCANIAE. CERERI. D. D.
M. CORVNCANIVS. M. F. ANTEMIVS.

PRAEF. LEG. III. ITAL.
KAL. FEBR. IMP. CAES. L. SEPTIM. SEVERO.
PERTIN. AVG. II. ET.
L. POSTVMIANO. ALBINO. COS.

Hi conſulatum geſſerunt A. V. C. 947. et ſecundus aliis uocatur *Clodius Albinus Caeſar II.* quia ſcilicet in faſtis ſcribitur *Seuero II.* et *Albino*: et hic habes exemplum cognominis a priuato Cereri impoſitum.

* * * *

XVIII. *Ibid.*

[*Pag.* 18. *num.* 2.]

In fine alterius ſcriptum eſt

- - - - - - - - - KAL. AVGVST.
M. COCCEIO. M. F. NERVA. AVG. IIII.
M. VLPIO. TRAIANO. CRINITO. II. COS.

Hanc puto me integram tecum communicaſſe; conſules fuerunt A. V. C. 851. et tunc eos illuſtrare fui conatus.

* * * *

XVIIII. *Romae in uia ſacra.*

[*Pag.* 40. *num.* 6.]

VOLCANO. MVL.
L. FOVR. L. F. SVC. ASPER.
EQ. ROM. PRAEFECTVS. ET.
PROCVRATOR. COLL. FERR. EIVS

DEM.

DEM. NOMIN. COLLEGIO. FABRO
RVM. FERRARIORVM. SIGNVM.
AENEVM. DEDIC. ET. SACELLVM. HOC.
ORNAVIT. DE. SVA. PECVNIA. ET.
PALMENT. MARMOR. FECIT. XI.
KAL. IVN. IMP. CAES. GORDIANO. AVG. II.
ET. CIVICA. POMPEIANO. COS.

Hi conſules fuerunt A. V. C. 994. Apud MEDIOBARBVM legitur: *Gordianus Aug. II. M. Aurel. Cl. Pompeianus*, quae unde ſumta ſint, neſcio. Apud NORISIVM autem *Gordiano II.* et *Pompeiano*. PALMENT. ſcriptum eſſe, pro *pauimentum*, credo.

* * * *

XX. *Albae.*

[*Pag.* 13. *num.* 4.]

M. COILIVS. M. FIL. FAL. FIRMVS.
FLAMEN. DIAL. QVINQVEN.
PATRONVS.
CORP. LVTORVM. CAST.
FECIT. IVNONI. ALBANAE.
PRO. MER. EIVSDEM. CORPOR.
CVRANTE. ET. D. D.
L. CLOVITITIVS. L. F. ALBANVS.
KAL. IVN. IMP. CAES. VESPASIANO. V.
ET. TITO. CAESARE. III. COS.

Hi conſules fuerunt A. V. C. 827. Apud MEDIOBARBVM in Veſpaſiano recte *Titus* uocatur Caeſar, ſed in Tito male *Aug.* id quod et in aliis annis obſerues, adeo ut mirari ſatis hanc negligentiam non poſ-

ſim, cum Titus *Auguſtus* non fuerit dictus, niſi patre mortuo A. V. C. 832. Sed obſtant tamen bini nummi ab eodem uiro erudito editi, qui inſcribuntur: IMP. T. CAES. VESP. P. M. TR. P. P. P. COS. III; et in alio: COS. IIII, cum tamen gerens eos conſulatus non fuerit niſi Caeſar, non Auguſtus, aut pontifex maximus. Quare neceſſe eſt, ut dicamus, monetarios erraſſe, uel pictores male addidiſſe litteram T. uel denique hos nummos ſignatos eſſe in memoriam eorum conſulatuum, poſtquam Auguſtus factus eſt; id quod pluribus examino in *Hiſtoria III. Gordianorum*, quam auctiorem longe promo. Habes hic etiam *corpus Lutorum*, et quidem *Caſtrenſium*, ut puto Albanae ſtationis, deinde *Flaminem Dialem* et *Quinquennalem*, neque enim flamen dialis creabatur ad tempus. Sed quid erit PRO MERITIS? eiuſdem corporis: fallor, aut ſenſus eſt, hoc monumentum dedicari Iunoni Albanae pro meritis, quibus *corpus Lutorum* affecerat.

* * * *

XXI. *Romae.*

[*Pag.* 32. *num.* 8.]

SACELLVM. HERCVLI. COMITI. CONSER. EXORAT.
HIC. POST. DONAT. IN. QVINQ. CRATER.ARGYRO.CORINTAM,
XII. KAL. SEXTIL. IMP. CAES. DOMITIANO. AVG.
ET. A. VOLVSIO. SATVRNINO. COS.
SILVIVS. M. LIB. GORGON. RECT. ET. PATRONVS. CORP.
GERVLANOR. NAV. CENAM. D. D.

Hi conſules ſignantur A. V. C. 840. tuncque Domitianus geſſit conſulatum XIII. In faſtis *Aulus Saturninus* appellatur, et hic nobis exhibetur familia, unde

unde oriundus erat, *Voluſia. Donationem in quinq.* puto eſſe eam, quam fecit, cum quinquennalis collegii, uel corporis Gerulanorum factus fuit: *Gerulani* uidentur iidem eſſe, qui *Geruli: Nau.* id eſt, nautarum: ſed quid ſibi uelit *Cenam*, uix capio, niſi hunc Siluium Gorgonem uelimus dediſſe corporatis *caenam*. Habes, ecce, XXI. inſcriptiones, unde faſti, niſi me plane fallo, multum emendari et illuſtrari poſſunt; quod ſi illa, et opella haec mea placent, accipies alias quoque itidem ineditas, nec non nonnullas, quas mihi in diuerſis libris editis ſparſim notaui, et quae etiam dignae ſunt eruditione et diligentia tua.

* * * *

Vt autem haec utilis, ſeu potius neceſſaria adeo materia quam diligentiſſime elaboretur, ſummopere te rogo, beniuole lector, uelis, ſi quos hactenus incognitos uel omiſſos deprehenderis uſpiam conſules ordinarios ſiue ſuffectos, benigniſſe mecum communicare, atque commiſſos errores, qui inuito mihi, ſiue ſeducto aliorum ſcriptis, ſiue ſuccumbenti operis magnitudini ac difficultati, fortuito exciderunt, ignoſcere: quod ſi impetraro, auctiores atque emendatiores ho-

ſce faſtos, quos tamquam ſpecimen dumtaxat exhiberi uoluerunt amici, aliquando recudere omni enitar ope. Vale ac faue noſtris conatibus.

CLA-

CLARISSIMO VIRO

THEODORO IANSONIO

A B

ALMELOVEEN,

IN ACADEMIA HARDEROVICENA COLLEGAE QVONDAM CONIVNCTISSIMO,

QVVM

FASTOS CONSVLARES

EDERET.

O primis quondam titulis Latiisque ſuperba
Faſcibus, Auſonio nomina culta ſolo,
Heu! ubi partus honos? ubi priſtina fama? Fuiſtis.
Praedam de uobis tempus et error agit.
Non uos praelatae letho eripuere ſecures,
Aut terra et uaſto iura recepta mari.

Et

Et geſta, et leges, et nomina, (quis putet?) ipſa
Damnarunt tenebris ſaecula lapſa ſuis.
At uos Doncalides lymphae, quae lene fluentes
Miſcetis Batauo murmura ueſtra mari,
Plaudite, et innumeris ripas pulſate ſuſurris.
Fert Latii tenebris accola ueſter opem.
Ille nouo ueterem perfundit lumine Romam:
Tempora per certos digerit ille dies.
Qui potuit priſcis tot reddere nomina Faſtis,
Quis neget aeternum iure paraſſe ſibi?

ADRIANVS RELANDVS.

FASTI
CONSVLARES,
SECVNDVM
SERIEM ANNORVM
DIGESTI.

Digitized by Google

F A S T I CONSVLARES.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

A.V.C.	A.N.C.	
245	509	Lucius Iunius Brutus.
		Hoc occiſo in e. l. ſuff.
		Spurius Lucretius Tricipitinus.
		Hoc mort. in e. l. ſuff.
		M. Horatius Pulvillus.
		Lucius Tarquinius Collatinus.
		Quo expulſo, magiſtratuque ſe abdicante in e. l. ſuff.
		Publius Valerius Poplicola.
		LIV. I, 60. II, 2. et 8. ubi *Collatinus* legendum, pro *Tricipitinus*. EVTROP. I, 8. 9. DIONYS. HAL. V, 1. 12. 13. SERV. *ad Virgil. Aen.* VI, 818.
246	508	Publius Valerius Poplicola II.
		T. Lucretius Tricipitinus.
		LIV. II, 8. DION. HAL. V, 20.
247	507	M. Horatius Pulvillus II. *
		P. Valerius Poplicola III.
		Inuerſo ordine ponit DION. HAL. V, 21.
		* Apud LIV. II, 15. primo loco occurrit *P. Lucretius*, loco *M. Horatii.*

Spu-

A. V. C.	A.N. C.	
248	506	Spurius Lartius Flavus. * T. Herminius Aquilinus.
		DION. HAL. V, 35. Hos conſules omittit LIVIVS. * Al. *Sp. Largius Rufus.*
249	505	M. Valerius * P. Poſtumius Tubertus.
		LIV. II, 16. * Valerii Poplicolae frater. DION. HAL. V, 36.
250	504	P. Valerius Poplicola IIII. T. Lucretius Tricipitinus II.
		LIV. II, 16. DION. HAL. V, 39.
251	503	P. Poſtumius Tubertus II. Agrippa Menenius Lanatus.
		Ita LIV. II, 16. Inuerſo ordine ponit DION. HAL. V, 43.
252	502	Opiter Virginius Tricoſtus. Spurius Caſſius Viſcellinus.
		Ita LIV. II, 17. Inuerſo ordine apud DION. HAL. V, 48.
253	501	Poſtumus Cominius Auruncus * T. Lartius ** Flavus.
		LIV. II, 18. DION. HAL. V, 49. GRVTER. *Inſcript. pag.* 1302. *num.* 5. * PATIN. *Famil. Rom. pag.* 68. ſcribit *Aruncus.* ** Al. *Largius.*
254	500	Servius Sulpicius Camerinus. Manius Tullus Longus.
		Moritur in magiſtr. LIV. II, 19. DION. HAL. V, 51.

T. Ae-

A. V. C.	A. N. C	
255	499	T. Aebutius Elva. P. Vetuſius * Geminus. Ita LIV. II, 19. Inuerſo ordine ponit DION. HAL. V, 59. * Al. *Veturius.*
256	498	Q. Cloelius Siculus. T. Lartius Flavus II. LIV. II, 21. GRVTER. *Inſcript. pag.* 1031. *num.* 7. Inuuerſo ordine ponit DION. HAL. V, 70.
257	497	A. Sempronius Atratinus. M. Minucius * Augurinus. LIV. II, 21. DION. HAL. VI, 1. * Al. *Minutius.*
258	496	A. Poſtumius Albus Regillenſis. T. Virginius Tricoſtus. LIV. II, 21. DION. HAL. VI, 2.
259	495	Appius * Claudius Sabinus Regillenſis. P. Servilius Priſcus. Ita LIV. II, 21. ſed idem LIV. *eod. libr. cap.* 23. ordinem inuertit, uti etiam facit DION. HAL. VI, 26. * GOLZIVS ponit : M.
260	494	A. Virginius Tricoſtus Caelimontanus. T. Vetuſius Geminus Cicurinus. Ita LIV. II, 28. DION. HAL. VI, 31. ponit *Veturius.*
261	493	Spurius Caſſius Viſcellinus II. Poſtumus Cominius Auruncus II. Ita LIV. II, 33. Ordinem inuertit DION. HAL. VI, 43.
262	492	T. Geganius Macerinus. P. Minucius Augurinus. Ita LIV. II, 34. DION. HAL. VII, 1.

D M. Mi-

A. V. C.	A. N. C.	
263	491	M. Minucius Augurinus II. A. Sempronius Atratinus II. Ita LIV. II, 34. DION. HAL. VII, 19. Ordinem inuertit GOLZIVS.
264	490	Q. Sulpicius Camerinus. * Spurius Lartius Flavus II. DION. HAL. VII, 63. Deſiderantur in LIV. II, 35. * GOLZIVS addit: *Cornutus.*
265	489	Caius Iulius Iulus. P. Pinarius Rufus Mamercinus. DION. HAL. VIII, 1. Deſiderantur in LIV. II, 37.
266	488	Spurius Nautius Rutilus. Sextus Furius Fuſus. LIV. II, 39. DION. HAL. VIII, 16. GOLZIVS autem poſt *Furius* addit *Medullinus.*
267	487	T. Sicinius Sabinus. C. Aquilius Tuſcus. Ita LIV. II, 40. Ordinem inuertit DION. HAL. VIII, 73. et pro *Sicinius*, ponit *Siccius.*
268	486	Sp. Caſſius Viſcellinus III. Proculus Virginius Tricoſtus Rutilus. Ita LIV. II, 41. Ordinem inuertit DION. HAL. VIII, 79.

„ Conſulum quidam ante Caeſares fuerunt, quidam
„ ſub

„ ſub Caeſaribus: quidam incertum eſt, an hoc, „ an illo tempore fuerint. Sunt etiam, quos licet „ ſciamus ſub Caeſaribus fuiſſe, incerta ſunt tem- „ pora eorum conſulatus.

„ Sit igitur *prima Claſſis* eorum conſulum, qui ante „ Caeſares fuerunt, et primi generis incertorum.

I. LVCIVS IVNIVS BRVTVS.

„ POMPON. I. 2. 2. 8. *Iisdem temporibus et tribunum* „ *celerum fuiſſe conſtat: cet. quo in numero fuit Iu-* „ *nius Brutus, qui auctor fuit regis eiiciendi.*

„ Idem I. 2. 2. 13. *Cum Brutus, qui primus Romae* „ *conſul fuit, uindicias ſecundum libertatem dixiſſet* „ *in perſona Vindicis Vitelliorum ſerui, qui proditionis* „ *coniurationem indicio ſuo detexerat.*

2. M. TVLLIVS CICERO.

„ PAPINIAN. 48. 4. 8. * *Iulia*) *mulier detexit, et Mar-* „ *cum Tullium conſulem indicium eius inſtruxit.*

„ De eodem *Cicerone* plura dicuntur *alio cap.*, cum „ de ſcriptoribus agitur. Adde Iuriſconſultorum „ conſulum nomina apud POMPONIVM: SEX. AELIVS „ PAETVS CATVS, P. AELIVS PAETVS, P. MVCIVS „ SCAEVVLA, MANIVS MANILIVS, P. RVTILIVS RVFVS, „ Q. AELIVS PAETVS TVBERO. Hi ante Caeſares „ conſules fuerunt.

3. D. LIVIVS DRVSVS. AEMILIVS LEPIDVS PORCINA.

„ VLPIAN. I. 13. I. *Ex quaeſtoribus quidam ſole-* „ *bant prouincias ſortiri ex ſenatusconſulto, quod factum* „ *eſt Decimo Druſo et Porcina conſulibus.*

4. COR-

4. CORNELIVS SVLLA.
LVCRETIVS TRIO.

„ MACER 48. 2. 12. *Ex ſententia Lentuli dicta Sulla*
„ *et Trione conſulibus.*
„ *Secundae claſſis* conſules ſub Caeſaribus.

I. A. VIBIVS C. F. C. N. HABITVS.
L. APRONIVS C. F. C. N.

„ PAVLL. 48. 18. 8. *Edictum divi Auguſti, quod propoſuit*
„ *Viuio Auito, et Lucio Apronìano conſulibus.*

2. MANIVS AEMILIVS LEPIDVS.
T. STATILIVS TAVRVS.

„ VENVLEI. SATVRNIN. 29. 5. 13. *In cognitione cet.*
„ *conſtitutum eſt ſenatuſconſulto Tauro et Lepido con-*
„ *ſulibus.*

3. M. VALERIVS MESSALLA.
M. AVRELIVS COTTA.

„ VLPIAN. 1. 16. 4. *Dum modo ſciat ſenatum Cotta et*
„ *Meſſala conſulibus cenſuiſſe.*
„ MACER 48. 2. 12. 3. *ex ſenatuſconſulto Cotta et*
„ *Meſſala conſulibus.*

4. M. VINVCIVS QVARTINVS.

„ POMPON. 1. 2. 2. 25. *Huic ſucceſſit Gaius Caſſius*
„ *Longinus.* Ibid. *Hic conſul fuit cum Quartino tem-*
„ *poribus Tiberii.*

5. VELLEIVS RVFVS.
OSTORIVS SCAPVLA.

„ VLPIAN. 38. 4. 1. *Senatuſconſulto, quod factum eſt*
„ *Claudianis temporibus, Velleo Rufo et Oſterio Sca-*
„ *pula conſulibus. cet.*

6. L. ANNEVS SENECA.
TREBELLIVS MAXIMVS.

„ VLPIAN. 36. 1. 1. *Temporibus Neronis octauo calen-*
„ *das Septembres Anneo Seneca et Trebellio Maximo*
„ *conſulibus.*

7. M. IVNIVS SILANVS.
VELLEIVS TVTOR.

„ VLPIAN. 16. 1. 2. *Quod Marcus Silanus et Velleius*
„ *Tutor conſules uerba fecerunt de obligationibus fe-*
„ *minarum.*

8. RVBRIVS GALLVS.
CAELIVS HISPO.

„ VLPIAN. 40. 5. 16. 5. *Subuentum libertatibus eſt*
„ *ſenatusconſulto , quod factum eſt temporibus diui*
„ *Trabiani , Rubrio Gallo et Caelio Hiſpone conſulibus.*

9. DVCENIVS VERVS.

„ CELS. 31. 29. *Pater meus referebat , cum eſſet in*
„ *conſilio Duceni Veri conſulis , itum in ſententiam*
„ *ſuam , ut cum Otacilius Catulus cet.*

10. ACILIVS AVIOLA.
CORNELIVS PANSA.

„ VLPIAN. 30. 41. *Quia haec legari non poſſe ſenatus*
„ *cenſuit Auiola et Panſa conſulibus.*

11. ACILIVS GLABRIO.

„ MACER 48. 2. 12. 1 *ſecundum epiſtolam diui Ha-*
„ *driani ad Glabrionem conſulem ſcriptam.*

12. ANNIVS VERVS.

„ VENVLEI. SATVRNIN. 48. 8. 6. *ex ſenatuſconſulto, „ quod Neratio Priſco et Annio Vero conſulibus factum „ eſt.*

13. Q. IVLIVS BALBVS.
T. AVFIDIVS OENVS SEVERIANVS.

„ VLPIAN. 5. 3. 20. *Pridie idus Martias Quintus Iu-„ lius Balbus et Publius Iuventius Celſus, Titius Au-„ fidius Oenus Seuerianus conſules uerba fecerunt de „ his, quae Imperator Caeſar Traiani Parthici filius, „ diui Neruae nepos, Hadrianus cet.*

14. PVDENS.
POLLIO.

„ MARCELL. 28. 4. 3. *Sententia Imperatoris Antonini „ Auguſti, Pudente et Pollione conſulibus.*

15. PROCVLVS.
MVNATIVS.

„ VLPIAN. 40. 12. 27. *Diui fratres Proculo et Munatio „ reſcripſerunt. Cum Romulus cet.*

16. TERTVLLVS.
CLEMENS.

„ VLPIAN. 27. 9. 1. *Imperatoris Seueri oratione pro-„ hibiti ſunt tutores cet. quae oratio in ſenatu recitata „ eſt Tertullo et Clemente conſulibus, idibus Iuniis.*

17. L. SEPTIMIVS PLAVTIANVS.

„ VLPIAN. 38. 17. 2. 22. *et inuenimus criptum ab*

 Im-

„ *Imperatore noſtro Antonino Auguſto et diuo patre*
„ *eius Mammiae Maximinae pridie idus Apriles,*
„ *Plautiano iterum conſuli.*

18. FVLVIVS AEMILIANVS.
NVMMIVS ALBINVS.

„ VLPIAN. 24. 1. 32. *Inperator noſter Antoninus*
„ *Auguſtus ante exceſſum diui Seueri patris ſui oratio-*
„ *ne in ſenatu habita auctor fuit ſenatui cenſendi Fuluio*
„ *Aemiliano et Nummio Albino conſulibus.*
„ Iuriſconſulti ſub Caeſaribus conſules fuerunt: AL-
„ FENVS VARVS, ATEIVS CAPITO, C. CASSIVS LON-
„ GINVS, P. IVVENTIVS CELSVS, et NERATIVS PRIS-
„ CVS ex verbis Pomponi. 1. 2. 2. et SALVIVS
„ IVLIANVS, 40. 2. 5. De Neratio, Celſo, et
„ Proculo hic expreſſum eſt.
„ *Tertia claſſis* incertorum ſub Caeſaribus.

1. MODESTVS.

„ VLPIAN. 11. 4. 1. 1. *cui etiam rei lex Fauia pro-*
„ *ſpexerat, et ſenatuſconſultum Modeſto conſule fa-*
„ *ctum.*

2. AEMILIVS IVNCVS
IVLIVS SEVERVS.

„ VLPIAN. 40. 5. 28. 3. *factum eſt ſenatuſconſultum*
„ *Aemilio Iunio et Iulio Seuero conſulibus in haec*
„ *uerba.*

3. TERTVLLVS.
MAXIMVS.

„ VLPIAN. 48. 5. 29. 4. *quod ſignificari uidetur re-*
„ *ſcripto ad Tertyllum et Maximum conſules.*

Notae

Notae AVGVSTINI.

„ p. 289. u. 35. *L. Iunius Brutus*) Conſul fuit cum
„ L. Tarquinio Collatino, et eo abdicante, cum
„ P. Valerio Poblicola, anno urbis conditae
„ CCXXXXIIII. ex faſtis Capitolinis.
„ -- *u.* 43. *M. Tullius Cicero*) Conſul fuit cum C.
„ Antonio M. F. anno urbis DCLXXXX. ex faſtis.
„ *p.* 290. *u.* 2. *Sextus Aelius Paetus Catus*) Conſul
„ fuit cum T. Quinctio T. F. Flaminino A. V. C.
„ DLV.
„ -- *u.* 3. *P. Aelius Paetus*) Conſul fuit anno DLII.
„ cum Cn. Cornelio L. F. Lentulo.
„ -- *ibid. P. Mucius Scaeuula*) cum L. Calpurnio
„ Piſone Frugi conſul fuit, anno DCXX.
„ -- *Manius Manilius*) A. V. C. DCIIII. qui fuit pri-
„ mus belli Punici tertii. Coſ. fuit cum L. Marcio
„ C. F. Cenſorino.
„ *ibid. P. Rutilius Rufus*) Coſ. fuit cum Cn. Mallio
„ anno urbis DCXXXXVIII.
„ -- *u.* 5. *Q. Aelius Paetus Tubero*) Hic conſul non
„ fuit, ſed pater eius, L. Aemilii Paulli gener,
„ cum M. Iunio M. F. Penno, A. V. C. DLXXXVIII.
„ Alii poſſunt addi conſules à Pomponio relati,
„ ut Iurisconſulti: ſed nos his contenti fuimus,
„ quorum conſulatus in Digeſtis mentio fit.
„ -- *u.* 7. *D. Liuius Druſus cet.*) Hos fuiſſe ſuffectos
„ conſules exiſtimo, et ſub Caeſaribus, propter
„ eam ſententiam, quae non eſt apta ſuperioribus
„ temporibus, ut uiri quaeſtorii prouincias ſorti-
„ rentur, quos praetorii tantum et conſulares ha-
„ bere ſoliti fuerant.
„ -- *u.* 13. *Cornelius Sulla cet.*) Hos etiam ſuffectos,
„ et ſub Caeſaribus fuiſſe arbitror. Aperte enim

„ Venuleius de legato Caeſaris, id eſt praeſide
„ prouinciae loquitur.

„ -- *u.* 17. *Secundae claſſis coſſ. ſub Caeſaribus.*) Adde
„ LAMPADIVM et ORESTEM coſſ. ex *Conſtit. Deo*
„ *auctore*, poſita initio Digeſtorum, et *Libr.* I.
„ *Cod. Iuſt.* tertium conſulatum ex *conſtit. Tanta*
„ et *Conſtit. Omnem.*

„ -- *u.* 29. *A. Vibius C. F. C. N. Habitus*) Sic eſt
„ in faſtis Capitolinis, quorum ſcripturam praefero
„ ſcripturae Pandectarum, in quibus eſt *Viuio Auito*
„ *et Lucio Aproniano conſulibus.* Scribo igitur,
„ *Viuio Auito, et Lucio Apronio ſiue Aproniano.* Sic
„ etiam XLVIII. 19. 39. *Cicero in oratione pro*
„ *Cluentio Auito:* ſed *Habito* eſt in Tullianis libris.
„ Placet tamen quibusdam *Auito* utrobique retine-
„ re: ego de Vibio Habito dixi ſententiam meam,
„ de Cluentio nihil certi habeo. Fuerunt autem
„ hi conſules ſuffecti ex Kal. Iul. A. V. C.
„ DCCLX. cum ordinarii conſules fuiſſent M. FV-
„ RIVS CAMILLVS, SEX. NONIVS QVINCTILIANVS
„ Auguſti tribun. poteſt. XXX. Tib. Caeſaris
„ VIIII.

„ -- *u.* 24. *Manius Aemilius Lepidus.*) Praenomen id
„ ex teſſera eburnea Romae inuenta ſumptum
„ eſt. Eius haec uerba ſunt. SP. N. FEB. MA. LEP.
„ T. STAT. COS. OLYMPVS. PETILLI; quae ita in-
„ terpretor: *Sportulam Nonis Februariis Manio*
„ *Lepido, Tito Statilio conſulib. Olympus Petillii*
„ *ſeruus accipiet.* Hi conſules ordinarii fuerunt
„ A. V. C. DCCLXIII. ſub Auguſto. Vidend. VL-
„ PIAN. in *Fragmen. Pith. tit.* 8. *de falſo teſtimo-*
„ *nio*, ubi Licinii et Statilii Tauri coſ. fit men-
„ tio.

„ -- *u.* 29. *M. Valerius Meſſala*) Hi conſules ſub
„ Tiberio Caeſare fuerunt anno urbis DCCLXXII.

De

„ De his DION. *Libr.* LVII. Apud TACIT. *Libr. III.*
„ *C. Aurelius* pro *Marco* ſcriptum eſt. Horum
„ etiam conſulum mentionem inuenio apud VL-
„ PIAN. *Libr.* VIII. ſub titulo *de poena legis Corne-*
„ *liae teſtamentariae*, in *Fragmen.* PITH. eodem
„ *tit.* 8. *de falſo teſtimonio.*
„ -- *u.* 35. *M. Vinucius Quartinus*) Hic coſ. fuit cum
„ C. Caſſio Longino A. V. C. DCCLXXXII. ſub Tib.
„ Caeſare. Ad hunc Quartinum Velleius Pater-
„ culus ſcripſit, eumque coſ. fuiſſe ait poſt palilia
„ prima A. V. C. DCCLXXXV. ſed ſcribendum
„ DCCLXXXII.
„ -- *u.* 39. *Velleius Rufus*, *Oſtorius Scapula*) Hos
„ conſules ſuffectos fuiſſe exiſtimamus ſub Tiberio
„ Claudio Imp. Non recte in Pandectis Floren-
„ tinis eſt, *Velleo Rufo et Oſterio Scapula.* Apud
„ IVSTINIANVM, *Libr. III. Inſtit. de adſign. liber-*
„ *tor.* eſt, *Sabellio Rufo et Aſterio Scapula*; et apud
„ THEOPHIL. Σαιλίῳ Ῥύφῳ καὶ Οστωρίῳ.
„ -- *u.* 44. *L. Annaeus Seneca*, *Trebellius Maximus*)
„ Hi etiam conſules ſuffecti fuerunt A. V. C.
„ DCCCXIIII. ſub Nerone, quo anno erant ordina-
„ rii P. Marius Celſus, L. Aſinius Gallus. Horum
„ etiam mentionem facit IVSTINIANVS *Libr. II.*
„ *Inſtit. tit. de fideicom. heredit.*
„ *pag.* 291. *u.* 1. *M. Iunius Silanus*, *Velleius Tutor*)
„ Horum conſulum tempora quaerimus. Vide SC.
„ Velleian. Non recte autem *Velleus* et *Velleianum*
„ in Pandectis Florentinis eſt. omiſſo *i.*
„ -- *u.* 6. *Rubrius Gallus*, *Caelius Hiſpo*) Hi conſules
„ ſuffecti fuerunt ſub Traiano: quo anno incertum
„ eſt.
„ -- *u.* 12. *Ducenius Verus*) *C. Iuuentius Verus* cum
„ *Ser. Seruiano* tertio conſul fuit ſub Hadriano
„ Imp. ex quodam titulo et ex variis ſcriptoribus,

 anno

„ anno urbis DCCCLXXXVI. An hic idem ſit ,
„ adfirmare nequeo.
„ -- *u.* 16. *Acilius Auiola* , *Corellius Panſa*) Hi
„ conſules ordinarii fuerunt ſub Hadriano A. V. C.
„ DCCCLXXIIII.
„ -- *u.* 20. *Acilius Glabrio*) Hic *Manius Acilius Glabrio* dictus eſt , ut ex ueteri titulo apparet ,
„ eiuſque collega *C. Bellicius Torquatus*. Conſules
„ ordinarii fuerunt anno DCCCLXXVI. ſub Hadriano.
„ -- *u.* 23. *Annius Verus*) Cum *Neratio Priſco* fuit ,
„ ſed quo tempore quaerendum. Fuit autem
„ *Annius Verus* auus Marci Imp. bis conſul , et
„ praef. urbi, teſte CAPITOLINO.
„ -- *u.* 26. *Q. Iulius Balbus*) Hic conſul ordinarius
„ fuit cum *P. Iuuentio Celſo II.* A. V. C. DCCCLXXXI.
„ ſub eod. Hadriano.
„ -- *u.* 27. *T. Aufidius Oënus Seuerianus*) *Titius* eſt
„ in Pandectis, pro *Titus*, ut ſuſpicor; fuiſſe autem
„ creditur conſul ſuffectus eodem anno.
„ -- *u.* 33. *Pudens*, *Pollio*) Hi conſules ordinarii ſub
„ Antonino et Vero fuerunt , A. V. C. DCCCCXVIII.
„ -- *u.* 37. *Proculus*, *Munatius*) Hos conſules ſuffectos fuiſſe ſuſpicamur ſub eiſdem Imperatoribus. Sed neque conſules appellat VLPIANVS,
„ neque *Proculum* conſulem fuiſſe ait POMPONIVS,
„ *Proculus* ille princeps Proculianorum antiquior
„ eſt.
„ -- *u.* 41. *Tertullus* , *Clemens*) Hi conſules ordinarii ſub Seuero Imp. fuerunt anno DCCCCXLVII.
„ Vidend. *Conſtit. I. Codicis Iuſtin. Libr. VIIII.*
„ *tit.* 1.
„ -- *u.* 46. *L. Septimius Plautianus*) Conſul iterum
„ fuit cum *P. Septimio Geta*, Seueri fratre , ambo
„ ordinarii ſub Seuero et Antonino A. V. C. DCCCCLV.

Huius

„ Huius Plautiani filia Plautilla uxor Antonini Ca-
„ racallae fuit.
„ *pag.* 292. *u.* 3. *Fuluius Aemilianus*, *Nummius Albi-*
„ *nes*) Ordinarii conſules fuerunt ſub eiſdem
„ Impp. anno DCCCCLVIII.
„ -- *u.* 10. *Alfenus Varus*) Diximus alibi *P. Alfenum*
„ *P. F. Varum* conſulem ordinarium fuiſſe cum
„ P. Vinucio anno Chriſti *tertio*, urbis DCCLIIII.
„ ex DIONE et PATERCVLO.
„ *Ibid. Ateius Capito*) *C. Ateius Capito*, cum *C. Vibio*
„ *Poſtumo* conſul ſuffectus fuit ex Kal. Iul. anno
„ urbis DCCLVIII. ſub Auguſto, ut quidam ſuſpi-
„ cantur ex quodam titulo, et ex TACITI ver-
„ bis extremo *libro tertio*.
„ -- *u.* 11. *C. Caſſius Longinus*) De hoc diximus in
„ *Quartino*.
„ *Ibid. P. Iuuentius Celſus*) De ſecundo conſulatu
„ diximus in *Q. Iulio Balbo*: de priore quaeren-
„ dum.
„ -- *u.* 13. *Saluius Iulianus*) Hic cum *Torquato II.*
„ conſul ordinarius fuit A. V. C. DCCCI. ſub Pio.
„ -- *u.* 14. *Et Proculo*) Malo, *et Caſſio*: nam Pro-
„ culis non is eſt, ut ſupra diximus.
„ -- *u.* 27. Adde LEON. *Libr. LX. Baſil. tit.* 37. *cap.*
„ 31.

Hactenus ex AVGVSTINO. Ne tamen prorſus ἀσύμβολος ad te accedam, addo quae in perlegendis fratris tui faſtis conſularibus, quos communicare mecum uoluiſti, obſeruabam, tum et alia quaedam, quae mihi in pertractando penſo meo ſparſim annotata ſunt. Primum autem in genere animaduerto, doctiſſimum fratrem tuum nihil in hoc argumento indiſcuſſum reliquiſſe, ſed omnes antiquitatis ſinus diligentiſſime pertentaſſe; omnia

Pp 5 de-

denique ueterum monumenta ſedulo eruiſſe ac rimatum eſſe. Quin ex elaboratiſſimo hoc opere didici, nonnullos uiros conſulares addi poſſe conſulibus ab AVGVSTINO relatis, quippe cui tantum propoſitum fuit eos recenſere, qui in Pandectis ut conſules memorantur. Praeterquam ergo quod ſuis locis ſuoque ordine recenſent hi faſti *Saluium Iulianum*, *Pudentem et Pollionem*, *P. Iuuentium Celſum*, *Tertullum* et *Clementem*, *Plautianum*, *Fuluium Aemilianum* et *Nummium Albinum*, *Aemilium Iuncum* et *Iulium Seuerum*, ut et *Modeſtum*, praeter hos, inquam, habent porro ſequentes, quorum Pandectae mentionem faciunt.

I. ERVCIVM CLARVM, qui ſub Antonino Pio conſul II. fuit una cum Claudio Seuero, A. V. C. DCCCLXXXXVIII. Meminit illius VLPIANVS *L.* 3. §. 2. *D. de offic. praef. uigil.* et *D. Antoninus Erycio Claro reſcripſit:* ubi in tranſitu obſerua, peccatum eſſe in orthographia nominis, poſito y. pro v. quae litterae et alibi in Pandectis permiſcentur, ut notum, maxime in nominibus propriis. Nonnihil etiam ea de re notabimus occaſione *Tertylli* et *Clementis* itidem conſulum.

2. QVINTILIOS, hoc eſt, *Quintilium Condianum* et *Quintilium Maximum*, ſub eodem Antonino, A. V. C. DCCCCIII. obſeruante CASAVBONO. VLPIANVS *L.* 16. §. 4. *D. de bonis libert. et hoc diui fratres Quintilliis reſcripſerunt:* vide laudatos *Faſtos pag.* 179. *in med.* Qua in re tamen dubium me tenet, quod diui fratres, nempe M. Antoninus philoſophus et Aelius Verus, qui hic Quintiliis reſcripſiſſe feruntur, demum A. V. C. DCCCCXIII. imperare coeperint.

3. BRADVAM MAVRICVM ſub Commodo, A. V. C. DCCCCXXXXIII. De eo idem VLP. *L.* 1. §. 4. *D. de ſuſpect. tutor. Sed Imperator Antoninus cum diuo Seuero Bra-*

Braduae Maurico proconſuli Africae reſcripſit. Idem reſcriptum memoratur in *L.* 4. *de offic. eius*, *cui cet.* ubi ſimpliciter *Bradua* audit : *Imperatores Seuerus et Antoninus Braduae proconſuli Africae.* In lapidibus apud GRVTER. REINES. et SPON. appellatur *M. Atilius Metellus Bradua.* Collegam habuit *Caſſium Apronianum.* Dicitur autem decimo poſt conſulatum anno procoſ. Africae fuiſſe. Vide NORIS. *Epiſt. conſul.*

4. FABIVM CILONEM, conſulem ſuffectum, cum ordinarii eſſent *Soſius Falco* et *Iulius Erucius Clarus*, biennio poſt Braduae conſulatum, imperante uidelicet Septimio Seuero. Idem deinceps ordinarius conſul fuit cum *Flauio Libone* A. V. C. DCCCCLVI. ſub eodem Seuero, ac filio eius Caracalla. Frequentem autem huius Cilonis in iure mentionem eſſe, adiicit auctor Faſtorum noſtrorum. Ita VLPIAN. *L.* 1. *de offic. praef. urb. Epiſtula diui Seueri* ad Fabium Cilonem praefectum urbi miſſa; et *L.* 4. *de offic. praef. uigil. Imperatores Seuerus et Antoninus Iunio Rufino praefecto uigilum ita reſcripſerunt cet.* et mox *eos ... ad Fabium Cilonem praefectum urbi amicum noſtrum remittes*; et *L.* 8. §. 5. *de poen. ex epiſtula diui Seueri ad Fabium Cilonem exprimitur.* Florentiae *Fauium* inuenies hiſce locis pro *Fabium*: ſed de hac τῦ B. cum V. permutatione infra opportunius agetur.

5. CLAVDIVM SELEVCVM. ex PAPINIANO *L.* 13. *D. de his, quae ut indign. aufer. Claudius Seleucus Papiniano ſuo ſalutem.* Collega ei fuit *Gratus Sabinianus* A. V. C. DCCCCLXXIII. inciditque hic conſulatus in imperium M. Antonini Elagabali.

Praeterea animaduerti *Aemilio Iunco* et *Iulio Seuero*, item *Modeſto*, quos AVGVSTINVS ad claſſem incertorum relegauit, ſua tempora in fratris tui faſtis aſſignari. Priores autem, quibus conſu-

ſulibus ſenatuſconſultum Iuncianum factum eſt, ſuffectos fuiſſe oſtendunt A. V. C. DCCCCXXXIII. atque adeo Commodo imperante. Alterum uero indicant ſub Alexandro conſulatum ordinarium geſſiſſe cum *Calpurnio Probo* A. V. C. DCCCCLXXX. Ex diuerſo AVGVSTINVS (liceat enim hoc ea occaſione adiungere) de *Munatio* et *Planco*, quos ſub diuis fratribus ut conſules retulerat, *claſſe* II. *num.* 15. ſe ipſum in notis corrigit: fatetur enim ex Pandectis non conſtare, an conſules fuerint: ſed nec aliunde, ut opinor.

Addam nunc alios quoſdam conſules e fragmentis VLPIANI et PAVLLI extra Pandectas, quae nobis inter alia id genus fragmenta ſeruauit auctor *Collationis legum Moſaicarum et Romanarum.* Hi ſunt

I. STATILIVS TAVRVS. VLPIANVS *tit.* 8. *de falſo teſtam. Praeterea factum eſt ſenatuſconſultum Statilio et Tauro conſulibus.* Ad quae uerba notat PITHOEVS; *Statilii Tauri* plures conſulatus in faſtis reperiuntur, ſed in notatione horum temporum, quem potiſſimum ſequar, non habeo. Si quis tamen coniecturae locus eſt, ſic lubentius repoſuerim, *Statilio Tauro et Scribonio Libone conſ.* nam his conſulibus ſenatuſconſultum Libonianum circa legem Corneliam (de falſis nimirum) factum ueriſimile eſt: haec PITHOEVS. Itaque prioris nomen imprudenter diuiſum eſt; ac ſi duo forent nomina. Eodem fere modo, quo per iocum dicebatur Iulio et Caeſare coſſ. cum is, neglecto collega Calpurnio Bibulo, unus omnia ad arbitrium adminiſtraret ut ſcimus e SVETON. in *Caeſ. cap.* 20. Ceterum *T. Statilius Siſenna Taurus* et *L. Scribonius Libo* conſules fuerunt A. V. C. DCCLXVIII. imperante Tiberio. De alio autem Statilio Tauro qui cum Lepido conſul fuit ſub Auguſto, actum eſt ſuo loco inter conſules, qui in Pandectis memorantur.

2. POM-

2. POMPONIVS et RVFVS. *Tit.* 15. *de Mathemat. et Manichaeis* ex eodem VLPIAN. *Denique extat ſenatuſconſultum Pomponio et Rufo conſſ. factum.* Nempe *C. Caecilius Rufus et L. Pomponius Flaccus* ſub eodem Tiberio, et quidem proximo poſt antecedentes anno faſces habere.

3. COTTA et MESSALA. *Tit.* 8. *de falſo teſtam.* ex VLPIANO rurſus. *Senatuſconſultum quod Cotta et Meſſala factum eſt;* forte legendum: *quod coſſ. Cotta et Meſſala factum eſt:* notatque PITHOEVS: „ Hoc diuerſum eſt ab illis, quae iiſdem conſulibus facta „ referuntur in *L.* 12. 9. *Si ſeruus.* *π. de accuſat.* *L.* „ 4. §. *proficiſci. de offic. proconſ.* " Sic ille. Verum de *M. Valerio Meſſala et M. Aurelio Cotta*, qui ad A. V. C. DCCLXXII. pertinent, ſuo loco tractat AVGVSTINVS, et in notis hunc quoque VLPIANI locum allegat.

4. Duo GEMINI. *Loc. laud.* ex eodem VLPIANI fragmento: *Senatuſconſulto quod duobus Geminis conſulibus factum ſit.* Apud GRVTER. inſcriptio eſt, in qua ſimiliter legitur, DVOBVS GEMINIS cos. *pag.* 535. *num.* 2. Fuerunt autem hi Gemini *C. Rubellius Geminus* et *C. Fuſius Geminus*, A. V. C. DCCLXXXI. Tiberio adhuc imperante.

5. HADRIANVS III. *Tit.* 13. *de termino moto*, fragmento ultimo, quod iterum VLPIANI eſt: *diuus Adrianus Terentio Gentiano* XVII. *Kl. Septembriarum, ſe* III. *conſt. reſcripſit.* Fuit hoc A. V. C. DCCCCLXXI. cum *Imp. Caeſar Hadrianus* III. conſul eſſet cum Q. Iunio *Ruſtico.*

6. GRAVIO et ROMVLVS. *Tit.* 3. *de ſaeuitia dominor. cap. penult.* quod eidem Iuriſconſulto inſcribitur, ad fin. *Gravione et Romulo conſſ.* Sed legendum haud dubie cum PITHOEO: *Glabrione et Omullo conſ.* qui conſules fuere ſub Antonino Pio

A. V. C.

A. V. C. DCCCCIIII. Profecto ſub hoc Imp. eos, qui hic memorantur magiſtratum geſſiſſe, apparet: praecedit enim apud VLPIAN. *Item diuus Pius ad libellum Alſi Iuli reſcripſit haec uerba.* Vt autem hanc PITHOEI coniecturam, quae iam ſtatim primo obtutu perquam probabilis eſt, eo ueriorem habeam, facit, quod haec nomina uarie ſcribantur in marmoribus et apud auctores, inprimis uero poſterius nomen. Ita praeter *Homullus* et *Homulus* occurrit etiam *Homulius*, *Humilius*, *Homollus*, *Omollus*, *Omullus*, Ιϐμίλιος, Ὄμμϐλος, immo uero ipſum *Romulus* apud CASSIOD. et PROSPER. Ita me docent ALMELOVEEN, et hi ipſi faſti ad ann. DCCCCIIII.

7. ANTONINVS III. *Tit.* 10. *de depoſito*, fragmento ultimo, quod PAVLLVM habet auctorem: *Prop.* IV. *Non. Nou. Antonino* III. *conſ.* Sed cum plures Antonini tertium conſules fuerint, haud in procliui eſt definire, quem hic intelligat PAVLLVS. Crediderim ego Caracallam indicari, qui ſaepius a noſtris Antoninus appellatur: is autem tertium conſul fuit cum *Septimio Geta Caeſ.* II. A. V. C. DCCCCLX.

8. LICINIVS V. et TAVRVS. *Tit.* 8. *de falſo teſtam.* in laudato aliquoties VLPIANI fragmento. *Licino* V. *et Tauro conſſ.* Sed hi plane incerti ſunt. Praeterea arbitror hic mendum ſubeſſe. Quid ſi legamus: *Licinio* V. C. et *Tauro conſſ?* Nempe V. C. id eſt, viro clariſſimo, qui titulus nonnumquam conſulibus adſcribitur, praeſertim uero ſequioribus ſaeculis. Hos autem ſuffectos fuiſſe ex eo licet colligere, quod in faſtis non reperiantur. De tempore non multum habeo quod diuinem. Dabis tamen hariolandi facultatem in re adeo obſcura. Putem igitur ad primorum Caeſarum tempora referendos eſſe, ſub quibus floruit Taurorum familia, et forte ad Tiberii principatum, cum VLPIANVS eos memoret poſt Sta-

Statilium Taurum, ante autem Cottam et Meſſalam, coſſ. qui certe ſub Tiberio ad ſupremum hunc omnis dignitatis apicem euecti ſunt.

Atque hi ſunt quos a collatore legum Moſaicarum et Romanarum e ſcriptis ueterum Iuriſconſultorum nobis ſeruatos deprehendi. In Inſtitutionibus Ivstiniani Imperatoris, quas magnam partem e Gaii Inſtitutionibus collegit, rara eſt conſulum mentio: nec mirum, cum uel in latioribus Pandectarum libris parce omnino adferantur. In integris autem Iuriſconſultorum uoluminibus plures conſules memoratos fuiſſe penitus mihi perſuaſum eſt. Sed haec cum ceteris quae ad hiſtoriam et elegantiora ſtudia pertinent, a iuris architectis paſſim reciſa eſſe, et pro ſuperuacuis uulgo habita, autumo. Quia tamen Inſtitutiones, ut dictum, nonnullos conſules indicant, et in his etiam, quos in Pandectis fruſtra quaeras, hanc antiquitati reuerentiam habebo, ut et ea conſularis hiſtoriae ueſtigia religioſe ac ſedulo legam. Sunt ergo, qui in euoluendis Inſtitutionibus ſe mihi obtulere, ſequentes conſules.

I. SABELLIVS RVFVS et ASTERIVS SCAPVLA. §. *ult. in fin. de adſignat. libertor. ex ipſo ſenatuſconſulto, quod Claudianis temporibus factum eſt, Sabellio Rufo et Aſterio Scapula conſulibus.* Quum autem horum in Pandectis quoque mentio fiat, conſule de iis Avgvstin in *notis ad claſſ.* II. *num.* 5. qui eos arbitratur ſuffectos conſules fuiſſe. Vocantur autem in Pand. *Velleius Rufus*, et *Oſterius Scapula*, quae nomina hoc modo reſtituenda exiſtimat uir doctiſſimus, *Velleius Rufus* et *Oſtorius Scapula.* Cviac. *ad Inſtit. loc. laud.* monet ſcribendum *Suillo Rufo* et *Oſterio Scapula. Suillo* autem Plinii auctoritate exhibet, *Libr.* VII. *cap.* 5. ſed hodie emenda-

datiores codices habent *Suilium Rufum.* Similiter ex THEOPHILO ipſe AVGVSTINVS citat Σȣιλίȣ Ῥȣ́φȣ. *Suillo*, pergit CVIAC. vel *Suelleo*, ut in Pand. Flor. ſcriptum oportuit. *Oſterii* autem *Scapulae* meminit CORN. TACIT. *Libr.* XVI. et in *Agricola.* Sic ille. Sed et Taciti codices hodie habent *Oſterius Scapula*, et quidem trium Oſtoriorum conſtanti ſcriptura in *Annalibus* meminit, in quibus aliquoties nominantur. Vide *Libr.* XII. XIIII. et XVI. Habet etiam THEOPH. καὶ Οςωρίȣ. Ita certe AVGVSTINVS uerum in THEOPHILO FABROTI habetur *δόγμα ἐπὶ τῆς Κλαυδίȣ βασιλείας ἐπὶ Suilla Ruffu* et *Hoſtorii Scapula τῶν ὑπάτων.* *M.* porro *Oſtorius*, qui et *Oſtorius Scapula* dicitur, occiſus eſt ſub Nerone. TACIT. *Ann.* XVI. *cap.* 15.

2. TREBELLIVS MAXIMVS et ANNAEVS SENECA. §. 4. *de fideicommiſſ.* *Et Neronis quidem temporibus, Trebellio Maximo et Annaeo Seneca conſulibus, ſenatusconſultum factum eſt, quo cet.* Sed et hi eadem occaſione in Pandectis memorantur, hoc ſolo diſcrimine, quod ibi Seneca praemittatur Trebellio, quodque minus accurate uocetur Anneus abſque diphthongo. Hi uero ſuffecti fuere ex Kal. Iul. A. V. C. DCCCXIIII. Sed uide AVGVSTIN. in *not.*

3. PEGASVS et PVSIO. §. *ſeq.* 5. *de fideicomm. Poſtea Veſpaſiani Auguſti temporibus, Pegaſo et Puſione coſſ. ſenatus cenſuit, ut cet.* Ceterum cum neque illi in faſtis Conſulum inueniantur, dubium nullum eſt, quin ſimiliter ſuffecti fuerint. Pegaſum ſane hunc GVL. GROTIVS *de uitis ICtor. Libr. II. cap.* 2. Proculi ſucceſſorem facit, eumdemque eſſe docet, qui a POMPONIO *L.* 2. *D. de orig. iur.* praefectus urbi ſub Veſpaſiano fuiſſe indicatur. Vetus porro ſcholiaſtes ad eum Iuuenalis locum ita commentatur,

Pe-

Pegaſus Trierarchi filius, ex cuius liburnae paraſemo nomen accepit, iuris ſtudio gloriam memoriae meruit, ut liber uulgo, non homo diceretur. Hinc functus omni honore, cum prouinciis pluribus praefuiſſet, urbis curam adminiſtrauit. Hinc eſt Pegaſianum ſenatuſconſultum. Ita hunc locum deſcripſit ὁ πάνυ HVGO GROTIVS in *Flor. ſparſ. ad ius Iuſtinian.* ſed in impreſſis poſteriora ſic habent: *hinc eſt Pegaſianum ſcilicet ius, quod iuriſperitus fuerat.* Sed de Pegaſo ICto, et unde ei hoc nomen, peculiare caput inſcripſit MENAGIVS in *Amoenit. iur. ciuil.*

4. TERTVLLVS. Hic quidem non nominatur, ſed tamen diſerte innuitur ab Imper. dum §. 2. *de SC. Tertull.* ait, *poſtea autem ſenatuſconſulto Tertulliano, quod diui Hadriani temporibus factum eſt. . . . . cautum eſt.* Atque *Tertullus* cum *Claudio Sacerdote* conſul fuit A. V. C. DCCCCX. adeoque hic conſulatus in ultima Antonini Pii tempora incidit. Verum quid ad hanc difficultatem reſponderi poſſit, uidebis in faſtis fraternis ad eum annum. Alteram huic omnino ſupparem uidere eſt apud BERTRAND. in *vita Gaii.* Forte *Tertullo et Maximo* ait CVIAC. *ad d.* §. 2. *Inſtit.* de quibus *L.* 29. §. 6. *D. ad L. Iul. de adult.* ſic ille. Horum autem aetas incerta eſt. Forte etiam huic loco aptari poſſet, quod alia occaſione ait *Cuiac.* v. *Obſ.* 26. Malo errorem eſſe in nomine imperatoris dicere: eſt enim in propriis nominibus memoriae lapſus frequentiſſimus.

5. ORPHITVS et RVFVS. *pr. de SC. Orphit.* pr. *et ſenatuſconſulto Orphitiano, quod Orphitio et Rufo conſulibus effectum eſt.* Nimirum *Iulianus Rufus* et *Gauius Orfitus* conſules fuerunt A. V. C. DCCCCXXX. imperantibus M. Aurelio et Commodo. Vide in laudatis faſtis ad hunc annum. NORISIVS *Epiſt. conſular.* hos conſules in inſcriptione apud FABRETT. *Orfi-*

tum et *Iulianum* dici obſeruat. Orſitum, Gauium Orſitum; Iulianum, duplici cognomine Iulianum Rufum dictum putat, locatque in anno DCCCCXXXI. ALMELOVENIVS eos uocat *Veſtium* (*al. Velium*) *Rufum*, et *Corn. Scipionem Orſitum*. Illud uero inſignem difficultatem uidetur habere, quomodo Gaius, qui ad Hadriani tempora referri ſolet, potuerit ſcribere ad SC. Orſitianum, ut eſt in *l. 9. D. ad SC. Orſit.* ſi id SC. his conſulibus, h. e. ſub Marco et Commodo, factum eſt, et quidem extremo tempore Marci. *Et noſtra quidem aetate*, inquit GAIVS *L. 7. D. de reb. dub. Serapia Alexandrina mulier ad diuum Hadrianum perducta eſt cum quinque liberis, quos uno fœtu enixa eſt.* Verum ego hinc perperam elici arbitror Gaium ſub Hadriano floruiſſe, uixiſſe autem ſub eo atque illius tempora attigiſſe concedo. Potuit igitur ea res accidiſſe ipſo adhuc puero aut admodum iuuene. Profecto cum illa ſcriberet, minime uiuebat Hadrianus, quippe quem *diuum* uocet. Nec quidquam amplius ad hunc ſcrupulum eximendum deſiderari exiſtimo. Vide etiam BERTRANDVM in *vita Gaii.*

6. TRIBONIANVS. §. 3. *in prooem. Inſtitution. Triboniano uiro magnifico, magiſtro ſacri palatii noſtri, et exconſule.* Sed de Triboniani conſulatu aliunde, quod ſciam, nihil certi habemus. Praeterea τὸ *et exconſule* non inuenitur in aliis editionibus iiſdemque, ni fallor, emendatioribus, nec in *Theophil.* In aliis autem uulgo includitur ſignis ſuſpectae ſcripturae.

7. IVSTINIANVS. A. III. in ſubſcriptione eiuſdem *prooem. D. C. P.* (*hoc eſt, datum Conſtantinopoli*) XI. *Kalend. Decemb. D. Iuſtiniano P. P. A.* III. *conſ.* Fuit autem *Imp. Flau. Anicius Iuſtinianus* tertium conſul ſine collega, anno V. C. MCCLXXXV. qui in-

incidit in annum à Chriſto nato DXXXIII. Eodem modo ex praefationibus Pandectarum AVGVSTINVS hunc Iuſtiniani conſulatum cum altero *Lampadii* et *Oreſtis* recenſere potuerat, ſed illae proprie ad Codicem pertinent comprehenſae ſub *tit. de ueteri iure enucleando.* Vnde hoc tantum in notis ac uelut in tranſitu facit. Hucuſque ex Inſtitutis.

Tandem uero, ſi placet, nonnihil addam quod pertinet ad quoſdam Pandectarum conſules ab AVGVSTINO relatos, quos nondum attigi.

Cornelium Sullam et *Lucretium Trionem*, quos recenſet in claſſe conſulum, qui ante Caeſares fuere, poſtea in notis ſub Caeſaribus fuiſſe exiſtimat, aeque ac *Druſum* et *Porcinam*, qui proxime antecedunt. Sed et ALMELOVENIVS in *Faſtis conſular.* circa hos fluctuatur. Primo enim cum ſub *Tiberio Aug.* V. et *Aelio Seiano* A. V. C. DCCLXXXIII. pro ſuffectis ex idibus Maiis retuliſſet *C. Memmium Regulum* et *L. Fulcinium Trionem*, ſubiicit. „ in *L.* 12. „ *pr. D. de accuſat.* legitur, *Sulla et Trione conſulibus;* quis ſit ille Sulla ignoro, an alius ſuffectus, „ an uitium librarii pro Seiano, quod maxime ueriſimile, an adiiciendus priori C. Memmio Regulo? „ uideant me doctiores. " Sic ibi. Verum in indice alphabetico ad eumdem annum e TACITO pro ſuffectis exhibet *Fauſtum Cornelium Sullam* et *Fulcinium Trionem*, allata etiam *d. L.* 12. *D. de accuſat.* laudatiſque GRVTERI *Inſcriptionibus* et NORISIO in *Epiſtola conſulari.* Apud NORIS. ſane extat lapis Nolanus, qui docet eos ſuffectos fuiſſe ex diuerſis menſibus, nempe Fauſtum Cornelium Sullam ex VII. Id. Maii, L. Falcinium Trionem ex Kal. Iuliis. TACIT. uero *Libr.* V. *Annal. cap.* 11. iungit Trionem et Regulum, et in eodem lapide P. Memmius Regulus ſuffectus dicitur ex Kal. Octobr. Male autem du-

bitat Almelovenivs , an non pro *Sulla* Selani nomen ſubſtitui in Pandectis debeat: male etiam Regulum et Trionem utrumque ex Idib. Maiis ſuffectum dicit, quibus in illo lapide ſolus Sulla ſuffectus dicitur. Videlicet extraordinarium eſt tam in Pand. quam apud Tacit. iungi duos ſuffectos ex diuerſis menſibus. Vnde licet concludere, non ſemper duos ſimul ſuffectos fuiſſe; ſed altero manente alterum interdum additum.

De *Viuio Auito*, pro *Vibio Habito*, quam ſcripturam porro in *notis* damnat Avgvstinvs , illud quoque obſeruari poteſt, permutationem B. et V. paſſim quidem in MSS. deprehendi, at nuſquam frequentius , quam in Pandectis Florentinis. Vſque adeo quidem, ut in nonnullis conſtanti errore pro altera littera alteram adhiberi uideas. In his autem eſt nomen *Viuius* et *Viuianus*, pro quo et alibi in iisdem notis *Vibius* et *Vibianus* , ſcribendum monet Avgvstinvs. *Vibiam* enim gentem fuiſſe, non *Viuiam*, a *Vibone* oppido, non a *uiuendo*. Ceterum contrario vitio *L.* 17. *D. de praeſcr. verb.* et *L.* 17. §. 1. *D. de aedil. edict.* eſt *Bibianus* pro *Vibianus*, et *ſic L.* 4. *D. de aleatorib. in conBiBio ueſcendi cauſſa* , pro *in conuiuio*: et *L.* 3. §. 3. *D. de aedil. edict. pro Beneno ViVit* hoc eſt, *pro ueneno bibit*. et ſimilia. De gente Fabia nemo eſt, qui dubitet, et tamen MS. Florentinum habet *Fauius Mela*, *Fauius Cilo*, lex *Fauia*, actio *Fauiana*. Ego ſcribo *Fabius Mela*, inquit Archiepiſcopus Tarraconenſis in iiſdem illis notis ad hoc nomen. Gens enim *Fabia* dicta eſt, non *Fauia*: et ſic quoque actio *Fauiana* in Pand. pro *Fabiana*. Sic ille. Eadem membrana Florentina pro *cibaria* tantum non ſemper habet *ciVaria*, ſaepiſſime autem *Valineum* pro *balineum* ſeu *balneum* , *deVere* et *deVitor* pro *debere* et *debitor* , item *duVium* et *duVitare* ,

pro-

proüare , *uideVitur* , *Veſtia* cet. Rurſum *alluBio*, *laBare* et *laBatio* , *Boluit* , *caBere* , pro *alluuio* , *lauare* , *lauatio* , *uoluit* , *cauere*. Immo etiam reperies *uerVa* , *BerVa* , et *Berba* , pro *uerba* , ut et *uoVis* , *BoVis* et *Bobis* , pro , *uobis*. Eae autem uoces , in quibus promiſcue hae litterae permutantur in archetypo Florentino innumerae ſunt. Tantum addam , uti in laudato conſulum pari eſt nomen *Auitus* pro *Habitus* , ita ex aduerſo in *L. ult. D. ad SC. Trebellian.* haberi , *exceptis bonis maternis eorum* et *aBitis* , pro *auitis:* et ſic alibi interdum *aBus* pro *auus* , *aBunculus* pro *auunculus*. Haec de permutatione τῶν B. et V. in Pandectis , quantum ad haec nomina attinet. Conſule omnino P. Fabrvm , qui ex profeſſo de his conſulibus agit *Libr. III. Semeſtr. cap.* 12. *pag.* 164. ubi inter alia etiam obſeruat , in Faſtis Haloandrinis et Contianis eos non reperiri , quoniam ἐπώνυμοι non fuere aut ordinarii , ſed ſuffecti ex Kal. Iuliis. De ueritate autem edicti , quod Auguſtus in Pandectis propoſuiſſe dicitur Viuio Auito et L. Aproniano conſulibus , peſſime dubitat Avgvstinvs Nicolavs *de Tortura* , Gallice , *pag. m.* 48. quia , ſi Dis placet , conſules qui adſcribuntur , in faſtis non apparent. Ita accepi ab ampliſſimo uiro , Cornelio van Bynkershoek , quem , ut eius tum dignitas , tum doctrina inprimis , atque eruditio poſtulat , honoris cauſſa nomino.

Ducenium Verum in *L.* 29. *D. de legat.* 2. eumdem eſſe cum *Iuuentio Vero* , haeſitanter aſſerit Avgvstinvs , et tamen perquam probabiliter id facit. Videlicet τὸ *Iuuen.* non aegre in *Ducen.* tranſire potuit , inprimis aberrante oculo deſcriptoris , et in ſequens *ducenta* incidente.

Venio ad *Q. Iulium Balbum* et *P. Iuuentium Celſum* , quibus duo alii , ni fallor , adiunguntur: de

his autem parum diſtincte AVGVSTINVM tractare arbitror. Nimirum *L.* 20. §. *6. D. de heredit. petit.* ordinarii conſules una cum ſuffectis uidentur enumerari, quod oppido ſingulare eſt. Eo pertinet, quod ALCIATVS ſcribit *Libr. V. Parerg. cap.* 10. ubi quatuor illa nomina hoc modo exhibet: *Q. Iulius Balbus* et *P. Iuuentius Celſus: T. Aufidius* et *Arrius Seuerianus.* Pro duobus autem poſtremis Florentiae habetur, *Titius Aufidius Oenus Seuerianus.* Profecto Arrius Seuerianus triennio poſtea conſul ordinarius fuit cum Sentio Augurino, quod uehementer fauet ei coniecturae. Praeterea exiſtimat ALCIATVS *Titum Aufidium* et *Arrium Seuerianum* ſuffectos conſules fuiſſe, eoſque Kalendis Martiis magiſtratum iniiſſe, cum ordinarii eſſent *P. Iuuentius Celſus II.* et *Q. Iulius Balbus*, qui primo loco nominantur, hoc eſt, A. V. C. DCCCLXXXI. Denique obſeruat, mirum eſſe quod Aurelii Caſſiodori faſtis et Theonis ad Ptolomaei canones interpretationibus *Iubentii Celſi* conſulatus cum *Q. Iulio Balbo* geſtus non appareat, ſed cum *Marcellino.* Hactenus ex ALCIATO. In aliis faſtis uideo recenſeri *Iuuentium Celſum II.* et *Neratium Marcellum.* Videlicet in his confunduntur ordinarii cum ſuffectis, dum *C. Neratius Marcellus* et *Cn. Lollius Gallus* hoc anno ex Kal. Nouembr. conſules fuere. Suppar hoc loco AVGVSTINI erratum eſt, dum Balbo Seuerianum iungit, confuſo inſuper cum Pandectis utroque nomine, Aufidii nimirum et Seueriani. Etenim uelut par conſulum exhibet *Q. Iulium Balbum* et *T. Aufidium Oenum Seuerianum.* Ceterum, ut dicebam, illud omnino ſingulare eſt, quadrigam conſulum in *d. L.* 20. *D. de heredit. petit.* uni ſenatuſconſulto praefigi. Inſigne autem et elegans, maximeque appoſitum exemplum veteris monumenti habemus, in quo itidem quatuor con-

conſules ſimul comparent : nam in reſcripto quodam ad libellum ſupplicem, quod ei ſubiectum eſt, libellos agente hoc ipſo Iuuentio noſtro, ita ſcriptum invenio:

FERETRVM. FIERI. PLACET. IVBENTIVS.
CELSVS. PROMAGISTER. SVBSCRIPSI.
(ſic) (ſic)
III. NON. NOEMB. ANTIO. POLIONE. ET.
OPIMIANO. KOS. ORDINARIS. SEVERO.
ET. SABINIANO. COS.

Lego illud apud Ioseph. Nerivm in *Analect. Libr. II. cap.* 6. et aliquanto limatius in Grvtero *pag.* 607. *num.* 1. adde faſtos fraternos ad ann. dcccvii. Qua in re hoc quoque obſeruari uelim, nomen *Iubentius* aeque iſtic cum B. ſcribi, ac ſolet in Pandectis Etruſcis. Proprie autem *Iuuentius* ſcribendum, cum V. a. *iuuentute*, non a *iubendo Iubentius*, ut idem Avgvstinvs alibi ad nomina propria Pandectarum in iiſdem illis notis animaduertit. Immo notabile hac in parte eſt, quod in epiſtola Velii Fidii ad Iuuentium Celſum, quae in eodem monumento praemittitur, diſerte habetur, tempore. primae. ivbentvtis, loco *iuuentutis*. Sed nec *Iubentius Celſus* tantum Florentiae paſſim legitur, uerum etiam *Caelius Iubentianus*, *L.* 10. *D. de quaeſtion.* et *Iubentiana*, *L.* 27. *D. de legat.* 3. quae παράγωγα ſunt iſtius nominis. Et tamen *L.* 18. *D. de iur. codicill.* recte eſt *Iuuentius Celſus* : nec ſcio an uſquam alibi. Ceterum de re ipſa, hoc eſt, de duplici illo conſulatu uide etiam Pancirollvm *Lection. uar. Libr. II. cap.* 25. et Bertrand. in *P. Iuuentio Celſo.*

Ad orthographiam quoque pertinet, quod in *L.* 1. *D.*

1. *D. de reb. eor. qui ſub tut. uel cur.* eſt *Tertyllo* et *Clemente conſulibus*, et uulgo, *ſenatuſconſultum Tertyllianum*, utrumque cum y pro *u.* quae elementa ſimiliter in uenerando Pandectarum archetypo frequenter alternant. *Tertylli* nomen (uerba rurſus ſunt Ant. Avgvstini in *notis* laud.) male editum eſt Florentiae: nam *Tertullus* Latinum nomen eſt a *tertio* deductum, ut *Tertulla* a *tertia*, et *pullus* a *puero*, et a *Tertullus Tertullianus dicitur* et *SC. Tertullianum*; ita uir doctiſſimus. Sed recte ſcriptum eſt in *Conſtit. Tanta*, quae ante Pandectas eſt, §. 4. et *in L.* 28. *D. de legat.* 3. Praeterea etiam *Flauiae Tertullae* diuus Marcus et Lucius Impp. per Menſorem libertum reſcripſiſſe feruntur *L.* 57. *D. de rit. nuptiar.* Denique in nomine Iuriſconſulti *u.* praeualuit; nam conſtanter fere *Tertullianus* audit.

Pro *Nummius Albinus* quidam habent *Numius* cum una conſonante in medio: eadem, opinor, ratione, qua *numus* aliqui ſcribunt pro *nummus.* Alii uero *Mummius* reponunt pro *Nummius*, et hunc ipſum eum eſſe arbitrantur, qui plenius uocatur *M. Mummius Annius Albinus.* Mire haec turbat Contivs cum ad uerba Vlpiani *Fuluio Aemiliano* et *Nummio Albino conſulibus* annotat. a. v. c. dcccclv. *M. Nummio Caeſonio*, *Annio Albino* et *Fulu. Aemiliano* conſul.; ut notaui in faſtis. Ita Contivs. Sed et in Chronologia labitur, cum pro certo habeatur, Albinum cum Aemiliano conſulem fuiſſe a. v. c. dcccclviii.

Occaſione *Orphiti* et *Rufi*, quos ex Inſtitutionibus adduxi, illud adiungam, pro altero nomine, ſalua ratione rectae ſcripturae ſubſtituendum eſſe *Orfitus* cum F. Ita certe praeit Relandvs in his *Faſtis* ad annum urbis dcccci. *pag.* 10. *in fin. Orfitus*, inquit, ſcribitur pro *Orphitus* apud ueteres:

nam

nam priſci Romani ignorabant PH. Sic ibi. Quum autem Romani in hiſtoriis ſuis quaedam nomina habeant aut Graeca aut a Graecis deprompta iisue affinia, quam maxime in illis ſcribendis titubaſſe uidentur, ut uel ex monumentis eorum tum publicis, tum priuatis cognitum perſpectumque omnibus reor. Forte ergo quidam hoc nomen ab *Orpheus* deriuari, aut aliquid cum eo commune habere exiſtimarunt. Sed in Digeſtis noſtris, quae dubio procul a Graecis librariis conſcripta ſunt, familiaris eſt haec litterarum F. PH. commutatio, etiam in appellatiuis aliiſque, ubi nulla eiusmodi ſuſpicio locum obtinet. Vt autem *Orphitus* habent, ita etiam SC. *Orphitianum*, et quidem ſemper, tam ſub *tit. ad SC. Tertyll.* et *Orphit.* quam in indice titulorum, qui ante Pandectas collocatur. In altero tamen indice, qui eſt iuriſconſultorum operumque eorumdem, inter Pavlli μονόβιβλα eſt, *ad SC. Orſitianum.* Profecto in lapidibus conſtanter fere *Orſitus* cum F. reperitur, ſecus ac in ſcriptis. Ceterum inter Orſitos, quae familia ſaepius conſulatu illuſtrata eſt, inuenio etiam *Memmium Vitraſium Orſitum* conſulem: ſed nondum ſcire licuit, ad quae tempora pertineat. Vide Grvteri *Inſcript. pag.* 438. *num.* 1. et Gvther. *de offic. dom. Aug. Libr.* I. *cap.* 17. qui eamdem inſcriptionem ex parte profert. Videtur autem hic Orſitus ad ſeriora tempora pertinere ex titulis dignitatum qui adducuntur.

Et haec quidem ſunt, doctiſſime Relande, quae mihi Avgvstini diligentia et accuratio reliqua fecit, quaeue illis ut minime aliena uidebantur poſſe adiici, certe pro otii mei modulo. Non poſſum tamen quin addam inſcriptionem unam aut alteram ex iis, quas caſu magis, quam data opera in Italia collegi, in qua uidelicet conſulum ſit mentio. Prima eſt ex

Pyrrho Ligorio, in dictione *Alſia*, quam ſolum ex parte deſcripſi.

DIS MANIBVS SACRVM.

ALFIAE L. L. OLYMPVSAE MATRI PIISSIMAE

poſtea: * *

FECERVNT.

Q. ALFIVS L. L. AEPYTVS CARPENTARIVS

S. ALFIVS L. L. CALLIPPVS AGITATOR

FACTION. RVSSATAE.

ad finem:

IIII. ID. MART. IMP. CAES. M. AVRELIO

ALEXANDRO SEVERO. PIO AVG. II. ET

C. MARCELLO QVINTILIANO COSS.

Deſcripſi autem Romae in bibliotheca Otoboniana, ubi aliquot uolumina iſtius operis aſſeruantur, quae, ut ferunt, Chriſtina Suecorum quondam Regina, litterarum amantiſſima Princeps, ex autographo Taurinenſi delineari curauit. Plures uero inſcriptiones ex iis deſcripſeram, in quibus adiecti ſunt conſules, ſed eaſdem a Grutero et Reinesio occupatas eſſe deprehendi. Ceterum quod ad hanc attinet, pro *C. Marcello Quintiliano* in *Faſtis Almelovenianis* eſt *C. Quinctilio Marcello*, ſed lapis, quem allegat, habet tantum IMPER. SEVERO AVG. ALEX. ITER. ET MARCELLO.

Aliam inſignem inſcriptionem perbeneuole mihi exhibere dignatus eſt uir illuſtriſſimus ac reuerendiſſimus, Leo Strozza, depromtam ex lamina aerea recurua, eaque paullo craſſiore, tamquam columnae fuiſſet inſerta potius, quam affixa. Hanc autem ſeruat in exquiſitiſſimo ſuo Muſeo, in quo delibaſſe uidetur quid-

quidquid aut natura, aut ars, aut ipſa etiam antiquitas praecipuum habet, idemque mihi copiam fecit conferendi prototypi. Eſt illa eiuſmodi:

DD. NN. CRISPO ET CONSTANTINO
IVNIORE NOBILISSIMIS CAESSIT COSS
III. NON ..EX.. L ORDO M DIDI
TANORVM HOSPITIVM AMICITIAMQVE
FECIT CVM Q. ARADIO VAL. PROCV
LO V. C. ET IPSVM LIBEROS POSTEROSQVE
EIVS SIBI LIBERIS POSTERISQVE SVIS
PATRONVM COOPTAVIT
Q. ARADIVS VAL. PROCVLVS V. C. PRAE
SES PP. HOSPITIVM AMICITIAM
QVE FECIT CVM ORDINEM DIDI
TANORVM IPSOS LIBEROS POSTEROS
QVE EORVM SIBI LIBERISQVE SVIS.
IN EIDEM CLIENTELAMQVE SVAM
POSTERORVMQVE SVORVM RECEPIT
AGENTE ORDINE.

Manifeſto autem quadratarii ſiue ſculptoris uitio hic poſitum CAESSIT, pro CAESS. IT. *Caeſaribus iterum:* CVM ORDINEM, pro CVM ORDINE: IN EIDEM, pro IN FIDEM. Quod ea re notaui, ut conſtet tanto iuſtius dubitari, an non pro τοῖς ORDO M DIDITANORVM, poni debuerit ORDO AM DIDITANORVM, hoc eſt, *ordo ampliſſimus Diditanorum:* niſi forte τὸ M DIDITANORVM notet *municipii Diditanorum:* ad quam ſententiam propenſior ſum. Atque ita pro CVM ORDINEM DIDITANORVM legi poterit CVM. ORDINE. M. DIDITANORVM, hoc eſt, *cum or-*

ordine municipii Diditanorum. Non pigebit, opinor, aliam ampliſſimi CVPERI obſeruationem ſuis ipſius uerbis intelligere. Scribit uir inſignis, cuius amicitiam commerciumque litterarum ſummo honori mihi duco, „ multum autem, immo plurimum, „ tibi debeo, quod mecum communicaueris pul- „ chram illam inſcriptionem ex Muſeo Stroziano, „ cui ſimilem, uti noſti, edidit GRVTERVS I. CCCLXII. „ in qua praeſes ille appellatur *Q. Aradius Rufinus* „ *Valerius Proculus*, eiuſque filium fuiſſe *L. Aradium Valer. Proculum*, memoratum in *inſcr.* I. „ CCCLXI., ſcribit REINESIVS ad *inſcr.* CXXII. *claſſis* „ VI. *Quintus* autem in modo laudata aliiſque non- „ nullis inſcriptionibus dicitur fuiſſe *praeſes prouinciae* „ *Byzacenae*, quae dignitas ſi in tuo illo lapide me- „ moratur, utique ſcribendum foret PRAESES *P.* „ *Byzacenae.* Scio duplex PP. illud aliter etiam poſ- „ ſe exponi, ſed cum *praeſidi* ſemper fere iungatur „ regio cuius quis *praeſes* eſt, ego putaui his de ſi- „ glis amplius inquirendum eſſe. *Municipium Diditanorum* alibi mihi lectum non eſt, et inde fit, „ ut magni aeſtimem hanc inſcriptionem, et bene- „ ficium tuum, quod mihi eamdem transmiſeris. Hactenus uir ampliſſimus. Sed haec uelut ἐν παρόδῳ.

Tertia reſtat inſcriptio, quae itidem ſingularis et conſpicua eſt, reperta Romae prope caſtrum Praetorium et aggerem Seruii, anno demum MDCCX. ſeruaturque in muſeo clariſſ. uiri, MARCI ANTONII SABBATINI:

PRO S. IMP. M. ANTONI. GORDIANI. PII.
FELICIS AVG. ET TRANQVILLINAE SABI-
NAE AVG. VENATORES IMMVN. CVM CY-

STO-

STODE. VIVARI. PONT. VERVS. MIL. COH.
VI. PR. CAMPANIVS. VERAX. MIL. COH. VI.
PR. FVSCIVS. CRESCENTIO. ORD. CVSTOS.
VIVARI. COHH. PRAETT. ET VRBB.
DIANA AVG. D. S. EX V. P.
DEDICATA XII. KAL. NOV.
IMP. D. N. GORDIANO. AVG. ET POMPEIANO. CS.

Eam uero ſua manu delineatam mihi tradidit uir illuſtriſſimus Pavllvs Alexander Maffeivs, qui natalium ſplendorem egregia litterarum et antiquitatis cognitione exornat, et hanc ipſam inſcriptionem diſſertatione uernacula illuſtrauit.

Denique non ab re fore arbitror, ſi pro appendice praecedentium ſubiecero praecipuas quaſdam differentias circa diem et conſulem Nouellarum Theodoſii, Valentiniani, et Maioriani. Contuli enim rubricas earum et inſcriptiones, ſed uel maxime etiam ſubſcriptiones, uſus codice ſat bonae notae ex laudata bibliotheca eminentiſſimi Otoboni, in quo MS. praeter eas Nouellas, quas Iac. Gothofredvs poſt Codicem Theodoſianum edidit, quinque alias conſtitutiones ineditas reperi ac deſcripſi. Inſcribitur is MS. *Codex Theodoſianus*: et poſtea: *Lex Romana:* uideturque exaratus circa annum M. a. Chriſto nato. Relatus autem eſt in indice ſplendiſſimae illius bibliothecae ſub littera S. X. 20. Sunt porro nouellae conſtitutiones ipſique tituli in eo codice alio prorſus ordine collocati, quam a Gothofredo exhibentur, habita potiſſimum temporis ratione. Verum de ordine non multum laborabimus, uti nec cetera nos in praeſentia detinebunt, quae minus ad rem pertinent. Interea ſeriem conſulum ſeruabimus, ut mos eſt Romanis in re hiſtorica. Primum ergo par conſulum ſit.

THEO-

A. Chr.

438 THEODOSIVS A. XVI. ET FAVSTVS.

Videlicet non ſunt nouellae Theodoſii, quae adſcendant ſupra hos conſules, quippe quibus ipſe Codex Theodoſianus promulgatus eſt. Adeatur ea de re, eſt enim contrauerſa, uir ſummus, IAC. GOTHOFREDVS in *Prolegom. ad eum Cod. cap.* 1. *ſect.* II. *num.* 3. immo paucae his conſulibus datae ſunt nouellae. Vitioſa itaque eſt ſubſcriptio apud GOTH. *tit.* I. *Nou. un. de Theodoſiani Codicis auctoritate*:

Theodoſio A. XV. *et qui fuerit nuntiatus.*

Fuit autem Imp. Theodoſius XV. conſul cum Valentiniano IIII. anno Chr. 435. Melius adeo MS. Otobon.:

Theodoſio A. XVI. *conſ.*

Neque aliud uoluit GOTHOFREDVS loco laud. Praeter conſulem uero etiam circa diem differt cod. Otob. ab eo, quo GOTHOFREDVS eſt uſus. In hoc eſt, *Dat.* XV. *Kal. Martii*, in illo autem, *Dat. prd. Kl. Febr.* Eſt porro et altera Nouella apud GOTHOFREDVM quae

Theodoſio A. XV. *coſſ.*

ſubſcribitur, puta *tit.* 4. uerum ſi recte habet cod. Otob. illa ad ſequentem annum referenda eſt, cum ibi ſcribatur:

Theod. Aug. XVII. *conſ.*

Ceterum inter paucas illas, quae hunc conſulatum referunt, eſt etiam inedita Theodoſii No-

A. Chr.

438. *Nouella*, *tit.* 16. *de poſtulando et perpetuanda aduocatione.* Habet illa:

Theodoſio Aug. XVI. *conſ.*

Et tamen uidetur et haec potius ad proximum annum pertinere, ob eam, quae praecedit, quaeque item apud GOTHOFREDVM eſt, et manifeſte eo referri debet. Data autem haec Nou. ἀνέκδοτος, XIIII. *Kl. Mai. Conſt.* eademque inſcripta eſt ID. AA. (hoc eſt, Impp. Theodoſius et Valentinianus) *Florentio Propoſito:* credo legendum *PPo.* ut paſſim eſt in aliis inſcriptionibus, h. e. praefecto praetorio; aut, ſi mauis, *PP. O*, praefecto praetorio orientis, ut diſerte habet *Nouella* antecedens. De alia uero inedita, quae huc reuera pertinet, iam uidebimus.

439. THEODOSIVS A. XVII. et FESTVS.

His conſulibus prodiere pleraeque Theodoſii nouae conſtitutiones. In genere autem obſeruandum eſt, miſceri ſaepius *Feſti* et *Fauſti* conſulatum cum eo, qui fuit *Theodoſii* XVI. et XVII. Sed e faſtis atque iis nouellis, de quibus nemini dubium eſt, patet ubique reſtituendum:

Theodoſio A. XVI. *et Fauſto coſſ.*

nec non

Theodoſio XVII. *et Feſto coſſ.*

Vt alias mittam, quarum exempla ad manum ſunt apud GOTHOFREDVM. Ex ineditis, quas deſcripſi, eſt Nouella inter Valentinia-

neas

A. Chr.

439. neas relata *tit.* 8. *de indulgentiis reliquorum*, quae habet:

Theodoſio A. XVII. *et Fauſto u. c. conſ.*

Dat. autem eſt VII. *Id. Iul. Rauennae;* et inſcripta: *Impp. Theodo.* et *Valent. AA. Fauſto PPo.* Reſcribo: *Florentio PPo.* Conſtat enim Florentium hiſce temporibus praefectum praetorio fuiſſe. In quibusdam *Nouellis* porro ſolus Imperatoris conſulatus ſubiicitur, omiſſo altero, quod itidem uarie obtinet in utroque exemplari. Praeterea ubi conſules conueniunt, ſaepe in die diſcrimen eſt: qua in parte illud monitum uolo, me differentiam unius aut alterius diei non notare, ne longior ſim. Puto autem in his confundi potuiſſe diem, quo *accepta* fuit nouella conſtitutio, aut *propoſita*, cum die, quo *data* eſt. Interdum uero et hi dies ſingulatim adduntur; ſed hoc non eſt ordinarium, maxime in Cod Otob. Diſcrimen igitur diei ſatis notabile eſt in ſequentibus. *Nou. unica tit.* 8. apud GOTHOFREDVM habet: *Dat. pridie Id. Sept.* at in MS. Otob. *Dat.* XIII. *Kl. Aug. Tit.* 12. *Nou.* 2. *Dat.* VI. *Id. Iun.*: in MS. Otob. *Dat.* VI. *id. Iul. Tit.* 14. *Nou.* I. *Dat.* XIIII. *Kal. Mai.;* in cod. Otob. *Dat.* XIII. *Kl. Febr.* Atque hae tamen in conſulibus non diſcrepant. *Tit.* 16. *Nou. un.* in MS. Otob. eſt:

Theodoſio et Aug. XVII. *conſ.*

uitio ſic ſatis manifeſto. Apud GOTHOFREDVM eſt:

Conſ.

A. Chr.

439. *Conſ. ſupraſcript.*
hoc eſt Theodoſio A. XVII. et Feſto *Tit.* 32.
Nou. un. apud eumdem eſt:
Theod. A. conſ.
at ſupplendum e MS. Otoboniano:
Theod. A. XVII. *conſ.*
Tit. 38. *Nou. un.* ſubſcriptio habet:
Theod. A. XV. *et Feſto* V. C. *coſſ.*
ſed recte eſt in MS. Otob. Differunt inſuper in die: nam apud GOTHOFREDVM habetur: *Dat.* V. *Kal. April.* in MS. autem Otob. *Dat.* V. *Kal. Sepb. Tit.* 44. *Nou. un.* eſt: *propoſita* XIIII. *Kal. Nou.* at in cod. Otob. *dat.* XIII. *Kal. Nou.* quod ob ea, quae monui, notari uelim. Praeterea additur altera conſtitutio, quae non eſt apud GOTHOFREDVM, de qua ad annum 444. Ad hunc uero ſpectant duae aliae ineditae, altera ſub *tit.* 16. *de poſtulando et perpetuanda aduocat.* de qua iam actum ad annum ſuperiorem; altera ſub *tit.* 8: *ne curialis* (ſic enim in hoc MS. pro, *ne decurio*). *ad ſenatoriam dignitatem, uel ad aliquem honorem adſpiret.* Haec autem prorſus hiſtorica eſt et elegans. Subſcriptionem habet eiuſmodi: *dat.* XIII. *Kal. Aug. Theod.* A. XVII. *con.* inſcripta autem eſt: *Id.* (h. e. Impp. Theodoſ. et Valentin.) *Zoilo PPo.*

440. VALENTINIANVS A. V. et ANATOLIVS.

Tit. 14. *Nou.* 2. in MS. Otobon. eſt.

A. Chr.

440. *Valentin. Au. et Anatolio.*

Videlicet A. V. Auguſto quintum, coaluit in *Au.* Hinc factum, ut numerus alibi quoque in huiuſmodi Nouellis exciderit poſt *A. Au.* et *Aug.* Ita uel apud GOTH. *tit.* 19. *Nou.* 1.

Valentiniano. A. et Anatolio V. C. *conſ.*

pro quo in Otoboniano:

Valentin. V. *et Anatolio conſul.*

Porro in eadem nonnulla de die diſſenſio eſt. Quae apud GOTHOFRED. extat, data legitur V. *Id. Ian.*, quae uero in cod. Otob. V. *Id. Iun.* Tituli ſequentis *Nou. un.* non habet conſules in Otob. ſed eam huc referendam eſſe apparet e cod. quem GOTHOFREDVS deſcripſit. Ad haec diſcrimen eſt in loco, ubi *Nouella* data: nam apud GOTHOFREDVM habetur, *Romae*, in MS. Otob. *Rau.* hoc eſt, Rauennae. Rurſum *d. tit.* 19. *Nou.* 2. apud GOTHOFREDVM eſt:

poſt conſulatum Valentiniani A.

Nihil praeterea; ſed rectius in MS. Otobon.

P. C. Valentiniani A. V. et Anatolio V. C. *coſſ.*

Legerem tamen *Anatolii.* Peius adhuc apud GOTHOFRED. *tit.* 21.

poſt conſulatum Valentiniano A. et Anatolio coſſ.

ubi item mendoſe in Otob.

P. C. Valent. Aug. et Anatolio V. C. conſ.

Denuo apud GOTHOFRED. *tit.* 42. *Nou.* 1. habetur

Valentiniano A. Anatolio V. C. coſſ.

ubi recte cod. Otob. Alia ratione corruptae

ſunt

A. Chr.

440. ſunt notae A. V. *tit.* 10. *Nou. un.* in Otobon.
Valent. XV. *et Anatol. V. C. conſ.*
item apud GOTHOFRED. *tit.* 39. *Nou. un.*
Valentiniano R. V. et Anatolio V. C. coſſ.
ubi MS. Otob. itidem mendoſe *Aug.* pro A. V.

441. CYRVS ſine collega.

Titulo 29. *Nou. un.* nihil eſt aliud apud GOTHOFR. quam

V. C. conſ.

pro eo autem in cod. Otob. conſpicitur

Ciro V. C. conſ.

Ad eumdem Cyrum atque hunc eius conſulatum pertinet inſcriptio laudatae in proxime antecedentibus *Nou. un. tit.* 10. *Impp. Theod. et Valent. AA. Cyro PF. P. et conſuli deſignato.* Data nimirum eſt, Valentiniano A. V. et Anatolio coſſ. Quoniam autem *Nou. un. tituli* 10. *Nou.* 2. et 3. *tit.* 14. quae et ipſae *Cyro PF. P.* ſcriptae inueniuntur, aeque datae ſunt Valentiniano V. et Anatolio coſſ. putem hinc conſtituendum, ad quos conſules pertineat *Nou.* 3. *tit.* 12. quae in utroque cod. *Cyro* inſcribitur, ſubſcriptionem uero hiulcam habet et imperfectam. Videlicet apud GOTHOFREDVM eſt, *dat.* VI. *Kal. Iul. Conſtantinopoli C*.* et in cod. Otobon. *dat.* VII. *Kl. Iul. Conſtan. V. C. conſ.* Denique idem, ni fallor, Cyrus *tit.* 18. *Nou. un. Impp. Theod. et Valent. AA. Cyro et Alyppio PF. P. PM.* pro quo tamen in MS. nihil eſt, praeter *Ciro PPo.*

A. Chr.

442. EVDOXIVS et DIOSCORVS.

Hiſce conſulibus apud GOTHOFREDVM data legitur *Nou.* 2. *tit.* 11. quae in cod. Otob. perquam uitioſe ſubſcripta eſt,

Dioſcoro et *Theodoſio CS.*

Illud uero monſtrum lectionis eſt, quod habetur in eodem cod. *tit.* 42. *Nou.* 2.

Epolitidio Scoro et Eudoxio VV. CC. conſ.

Confuſum autem eſt nomen loci, ubi data haec *Nou.* cum ipſis conſulibus. Reſcribe igitur e GOTHOFR. exigua mutatione,

Spoleti. Dioſcoro et Eudoxio cet.

Ceterum hic Eudoxius Valentiniano A. V. et Anatolio coſſ. comes rerum priuatarum uidetur fuiſſe. Profecto *Nou. un. tit.* 28. inſcribitur: *Impp. Theod. et Valent. AA. Eudoxio Com. R. P.*

443. MAXIMVS II. et PATERNVS.

Complures Nouella hos conſules ſubſcriptos habent: ſed pró *Paterno*, quod miror, ubiuis conſtanter *Paterio* legitur, tam apud GOTHOFREDVM, quam in cod. Otob. niſi forte quod *tit.* 11. *Nou.* 1. apud laud. GOTHOFRED. eſt

Maximo II. *et Paterno V. C. conſ.*

Praeter illud autem alio quoque uitio laborat *Nou. un. tit.* 22. apud eumdem,

Maximo II. *et Paterio* V. *coſſ.*

pro *Paterno V. C. coſſ.* Ad haec deeſt ibi nomen urbis, ubi Nou. data eſt, cum in Otob. MS. habeatur *Rau.* hoc eſt Rauennae. Porro

ex

A. Chr.

443. ex eo MS. optime reſtituitur nomen loci *tit.* 30. *Nou. un.* quae iiſdem conſulibus inſignitur. Corrupte enim GOTHOFR. *Frodoſiadae*, pro *Afrodiſiade*, ut eſt in MS. noſtr. Eo amplius, dies ibi differt. GOTHOFR. habet: *dat.* II. *Kalend. Iul.* at MS. Otob. *dat* XI. *Kl. Iun.* Rurſum *Nou.* 2. *tit.* 41. apud GOTHOFRED. data dicitur *prid. Id. Iul.* ſed in MS. illo *Kl. Iun.* Adde *tit.* 45. *Nou. un.* quae ſubſcribitur apud GOTHOFR. *dat.* III. *Id. Mart. Rom.* Verum in cod. Otob. *dat.* XIII. *Kal. Nou. Rau.* quod plurimum diſcrepat. Conueniunt tamen in eumdem conſulatum.

Ceterum alter horum conſulum, Paternum indigito, anno proximo praefectus praetorio fuerat, ſi quidem, ut probabile eſt, idem ſit, qui indicatur in inſcriptione *Nou.* 2. *tit.* 42. Alter autem uariis conſulibus, praeſertim Valentiniano A. V. et Anatolio, item Valentiniano VI. et Numo coſſ. cum hoc tamen diſcrimine, ut poſterioribus, quando iam ipſe conſul fuerat, uocetur *PF. P. et Patritius:* quemadmodum et in aliis hoc tempore uidetur obtinuiſſe. De Maximo adi inſcriptiones *Nouellarum tit.* 21. 38. 39. 42. et inter *Valentinianeas tit.* 3. Qua occaſione obiter emendandae ſunt inſcriptiones ſequentium Nouellarum. Videlicet *Nou. un. d. tit.* 38. ubi in cod. Otob. eſt, *ad Maximum VPPo.* item *d. tit.* 39. quae apud GOTHOFR. exhibetur, *Maximo PF. P.* II. ut et *tit.* 3. *Nouellarum* VALENTINIANI, *Maximo Patricio.* Reſcribendum igitur in hiſce, *ad Maximum* II. *PPo.*, *Maximo* II. *PF. P.*, *Maximo* II. *PF. P. et Patricio.* De-

A. Chr.

443. nique inter ineditas codicis Otoboniani *tit.* 7. *Valentinianearum* duae ſunt, quarum poſterior inſcribitur: *ad Maſſimum VPPo.*

444. THEODOSIVS A. XVIII. et ALBINVS.

Huc ſpectare uidetur *Nou.* 1. *tit.* 14. quae ſubſcribitur:

Theodoſio A. XVIII. *conſ.*

At in cod. Otobon. eſt:

Theodoſio A. XVII. *conſ.*

atque haec quidem deſignatio longe probabilior eſt, tum propter ordinem titulorum in cod. Otob. in quo, ut dixi, non tam materiarum, quam temporis ratio eſt habita, et ubi haec Nouella poſita eſt inter eas que datae ſunt Theodoſio A. XVII. et Feſto coſſ. tum uero in primis, quod Florentius, cui haec Nou. inſcribitur, iisdem conſulibus praefectus praetorio fuit. Conſtat id ex *titt.* 3. 5. 7. 9. 12. (*Nou.* 1.) 15. 16. et 17. neque poſt laudatos coſſ. in inſcriptionibus inuenitur. Adeoque illa Nouella haud dubie ad annum 439. referenda eſt.

Vitioſa quoque eſt *Nou. un. tit.* 33. quod ad ſubſcriptionem. Ita enim GOTHOFREDVS:

Theod. et Albino XVIIII. *V. C. coſſ.*

Sed res manifeſta eſt, recteque MS. Otob.

Theod. A. XVIII. *et Albino V. C. conſ.*

At uero VALENTINIANI *Nouellarum prima* in utroque cod. perperam habet. Apud GOTHOFREDVM eſt:

D.

A. Chr.

444. *D. Theodoſio* A: XVII. *et Albino V. C. coſſ.* in MS. autem Otobon.

Theod. Aug. VIII. *et Albino V. C. conſ.*

Ad eumdem hunc annum pertinet inedita *Nouella ſub tit. de competitionibus*, qui apud GOTHOFR. ordine eſt 44. Integra ſubſcriptio hoc modo concepta eſt*: dat.* X. *Kl. Mai. Conſtan. Theod.* A. XVIII. *conſ.* inſcribitur uero: SD. AA. (quod interpretor *ſupradicti Auguſti*, hoc eſt, Theodoſ. et Valentin.) *Zoilo PPo.*

Hic porro noſter Albinus praefectus praetorio per plures annos extitit, ut inſcriptiones nos docent. Ita proximo ante conſulatum anno *PF. P.* dicitur *tit.* 22. et ſpeciatim *PF. P. Illyrici tit.* 47. et in *Valentinianeis tit.* 17. Sed et quatuor aliis, qui hunc ſequuntur, *PF. P.* appellatur, ut *tit.* 23. et *Valentin.* 2, item *tit.* 46. et *Valentin.* 4. *Nou.* 1. et 2. tum earumdem *tit.* 3. et 6. poſtremo *Valentin. tit.* 13. Vulgo autem inſcriptiones habent: *Albino* II. *PF. P.* uerum ſub Aëtio III. et Symmacho, nec non ſequentibus conſulibus adiicitur *Patricii* titulus. In quibuſdam harum inſcriptionum menda quidem reperiuntur, ſed eiuſmodi, quae ex iam dictis nullo negotio corrigi poſſunt. Vnum monendum eſt, ſtare non poſſe inſcriptionem *Nou.* 1. *tit.* 1. VALENTINIANI, quae ad Albinum PF. P. dirigitur: ipſa enim Nou. hoc conſule data eſt: ut eo tempore praefectus praetorio eſſe nequiuerit.

A. Chr.

445. VALENTINIANVS A. VI. et NONIVS.

Pro *Nonio* apud GOTHOFR. ſemper eſt *Numo*, at in MS. Otob. quae ſcriptura ſe magis ad communem accommodat: *Nomo*. Ceterum *tit.* 24. *Nou. un.* apud GOTHOFR. tantummodo eſt:

Valentiniano A. VI. *conſ.*

pro quo plene in cod. Otobon.

Valentin. A. VI. *et Nomo V. C. conſ.*

Inſuper nec ſatis conueniunt in die; nam apud GOTHOFR. data eſt ea conſtitutio VIII. *Id. Iun.* in MS. autem Otobon. iiſdem *Idib. Iul.* Illud ſingulare eſt, quod *Nouellarum* VALENTINIANI *tit.* 2. *Nou. un.* uterque cod. mendoſe habet:

Valentiniano A. VII. cet.

pro VI. Circa diem rurſus differunt manuſcriptus Otobon. et is, quo GOTHOFR. quondam utebatur. In hoc enim eſt: *dat.* XVIII. *Kal. Maii*; at in illo: *dat.* VII. *Kal. Mai.*

Hic autem, ni fallor, ſiue Numus, ſiue Nomus aut Nonius, antea magiſter officiorum fuit, ut indicant *tit.* 31. et 32. Vnde errorem ſubeſſe arbitramur in MS. Otobon. *d. tit.* 31. ubi inſcriptio Nouellae habet: *Ciro magiſtro officiorum.* Sed uel idcirco, quoniam Cyrus paſſim praefectus praetorio fuiſſe legitur, ut ſupra indicatum eſt.

446. AETIVS III. et SYMMACHVS.

Minus recte pro iis in MS. Otobon. *tit.* 46. habetur:

Actio

A. Chr.

446. *Aetio* III. *et Simacho V. C. conſ.*
Mendoſe etiam apud GOTHOFR. inter *Valentinianeas tit.* 4. *Nou.* 2.

Aëtio IIII. *et Symmacho VV. CC. conſ.*
Aëtius porro Patricius dicitur in inſcriptione *Nou.* II. *Valentin.*

447. CALLYPIVS et ARDABVRIVS.
Alii ſcribunt *Alypius*, alii uero *Caleppius*, ut eſt apud ALMEL. in *Faſtis*. Apud GOTH. *tit.* 27. eſt

Calipio V. C. conſ.

inepta autem *tit.* 42. *Nou.* 3.

Calypio Aug. V. C. conſ.

At *Nouellarum* VALENTINIANI *tit.* 5. et 6. rectius eſt:

Callypplo V. C. coſſ.

In MS. Otob. tribus prioribus locis conſtanter legi:

Calepio V. C. conſl.

quarto tandem:

Callipio V. C. conſule.

Alterius autem conſulis nomen non additur, niſi tantum apud GOTHOFR. idque unice laud. *tit.* 6. cuius Nouella hoc pacto ſubſcribitur:

Callypio et Ardabure VV. CC. coſ.

Immo *tit.* 2. *Nouellarum* THEODOSII prioris nomen praetermiſſum eſt, ſed ideo, quia nondum erat nuntiatus. Habet quippe ſubſcriptio:

Ardabure V. C. conſ. et qui fuerit nuntiatus.

ibi autem ſimiliter, quod notandum, *Ardabure*

A. Chr.

447. dicitur, non *Ardaburio*, ut eſt in Faſtis. Obſerua denique ex *eod. tit.* 2. his conſulibus editum eſſe librum *Nouellarum* D. Theodosii.

448. POSTVMIANVS et ZENO.

Hoc anno D. Theodoſii Nouellas conſtitutiones confirmauit Valentinianvs in Nouellis ſuis *tit.* 13. *Nou. un.* Conſules quidem hic recte ſe habent in utroque exemplari, ſed apud Gothofr. data dicitur *non. Maii*, in MS. autem Otobon. 111. *non. Iun.* niſi fortaſſe haec corrupta ſint ex die praecedentis *Nou. ſub tit.* qui apud Gothofr. eſt 6.

449. PROTOGENES et ASTERIVS.

Aſturius eſt tam in eo cod. quo Gothofr., quam quo ipſe ſum uſus: nimirum *tit.* 8. et 14. in Valentinianeis. Atque haec ſcriptura firmatur auctoritate lapidis, quem e Reinesio huc adfert Almelovenivs. At priore tit. manifeſto errore inquinatum eſt nomen alterius conſulis, apud Gothofr. dum habet:

Aſturio et Crotogene VV. CC. coſſ.

Male item in cod. Otobon. *Protogeno:* quemadmodum contrario uitio ſub *tit.* 14. *Protegene.* Poſtremo priore Nou. circa diem erratum eſt in alterutro cod. nam apud Gothofr. eſt: *dat.* XV. *Kal. Iul.* in MS. Otobon. *dat. Kl. Iul.*

450. VALENTINIANVS A. VII. et AVIENVS.

Itaque perperam exaratum eſt in legibus Theodosii, *tit.* 35.

Va-

A. Chr.

450. *Valentiniano* A. VI. *et Albino.*
rectius autem cod. Otobon.
Valent. A. VII. *et Albieno conſ.*
Sed et *tit. ſequ.* recte eſt ſcriptum utrobique

451. MARCIANVS A. et ADELPHIVS.
Ad hoc referenda eſt *Nou. un. tit.* 9. inter *Nouellas* VALENTINIANI, in cuius ſubſcriptione illud memorabile eſt, quod ſolius Adelphii mentio fit, excluſa Imperatoris mentione.

452. ASPORACIVS et HERCVLANVS.
PAGIVS, monente ALMELOVENIO, legit: *Sporatius.*, quae res fecit, ut pro *Storacio PF. V.* quemadmodum eſt in inſcriptione *Nouellae un. tit.* 45. ex *Nouellis* THEODOSII, ambigerem, an *Sporacio* ſubſtituendum foret, atque hic ipſe intelligeretur. Sed *tit.* 7. *Nou.* ineditae De indulgentiis reliquorum in contextu conſtitutionis eſt itidem Storacii nomen, *Storaci P. K.* hoc eſt, *praefecte Kariſſime.* Praeterea *tit.* 16. inter Valentinianeas eſt *Stauratio PP.* Neque adeo poteſt in his nominibus quidquam certi definiri. Quin immo laud. *tit.* 45. in MS. Otobon. eſt *Albino PPo.* poſterior autem ibi penitus deſideratur.

453. VINCOMALVS et OPILIO.
Horum alter magiſter officiorum uidetur fuiſſe anno 449. et 450. Argumento mihi eſt inſcriptio *Nou. un. tit.* 35. *Nouellarum* THEODOSII, et *tit.* 14. earum, quae VALENTINIANI ſunt. Corrup-

A. Chr.

453. rupte autem priore Nou. MS. Otob. habet *Oſilio* pro *Opilioni.*

454. LEO et MAIORIANVS AA.

NOVELLARVM MAIORIANI *tit.* 3. *de ritu imperii diui Maioriani*, (lege ex cod. Otobon. *de ortu* cet.) *Nou. un.* apud GOTHOFR. eſt:

Maioriano A. I. *coſ.*

in MS. autem Otobon.:

dno Maioriano et conſ.

In iiſdem praeterea *Nouellis tit.* 6. GOTHOFREDVS edidit:

ipſis AA. *coſſ.*

MS. uero Otobon.:

dn. Leone et Maior. conſ.

attamen res eodem redit.

Sed manum de tabula. Symbolam contuli. Si uota mea quid poſſunt, valebis uir clariſſime, et, quod unice expeto, me amabis. Dabam *Henulitae* e muſeo *prid. Kal. Auguſti*, CIↃIↃCCXV.

INSCRI-

637

INSCRIPTIONES
ET
SVBSCRIPTIONES
IVSTINIANEI CODICIS
A
TYPOGRAPHORVM INCVRIIS
VINDICATAE
A
CANDIDO ADINIVA
GRANANESIO
N. S.

EDITIO ALTERA.

Digitized by Google

LECTORI

DEſideratam ab eruditiſſimis uiris Codicis Iuſtinianei *inſcriptionum* legum, *ſubſcriptionumque* correctionem auſus ſum tentare, eiuſque ſpecimen edere. Vtinam fauſte. Hiſtoriae utilem, ciuili iuris prudentiae neceſſariam, et antiqui, et recentiores litteratiſſimi ſcriptores cenſuere. Primum librum illuſtribus et clariſſimis Neapolitanae celeberrimae Academiae Profeſſoribus examinandum offero: et quidem ex animo, et uoto: ut, ſi utile iudicarint opuſculum, maiore ſtatim alacritate caſtigationes in uniuerſos duodecim libros, nempe mille fere et quingentum, publici iuris faciam: ſin minus, ex nunc, candidide lector, tibi dico

VALE.

Vſi ſumus Pandectis Florentinis cum recentio-

tiorum annotationibus , editis Amſtelodami CIƆIƆCLXIII. *in fol. II. uolum.*

Leges , quae fidem caſtigationibus noſtris faciunt , aut lucem afferunt , citantur temporum ſeruata ratione.

CAS-

CASTIGATIONES
IN
ERRATA TYPOGRAPHICA
PRIMI LIBRI
CODICIS
IMP. IVSTINIANI
AVG. FEL. PII.

* * * * * * * * * * * *

IN PRAEFATIONEM

§. 1. DE emendatione Codicis domini Iuſtiniani, cet. *Cordi eſt*, cet. *datum XVI. Kal. Decembris*, cet. *domino Iuſtiniano P. P. A. IIII. et Theodoro Paullino uiris clariſſ. coſſ.* 534. Corrige *uiro clariſſimo.* Theodorus Paulinus unica perſona. *Clariſſimi* uero titulus non conuenit imperiali maieſtati.

TIT. I.

DE SVMMA TRINITATE, cet.

§. 2. *L.* 2.) Inſcriptio: *Iidem AA. Eutropio*, cet. In *L.* I. antec. tres erant Imperatores, Gratianus, Valentinianus, et Theodoſius AAA. a. Chr. 380. Ipſi condiderunt anno ſequente legem hanc. Repone igitur: *iidem AAA. Eutropio praefecto praetorio.* Miror clariſſimos uiros PITHOEOS in eorum eruditiſſimis *Obſeruationibus*, *pag.* 4. rem adeo apertam non animaduertiſſe.

§. 3. *L.* 3.) Inſcriptio: *Impp. Theodoſ. et Valent. AA. Hormiſdae PP.* Subſcriptio: *datum XIII. Kalend. Mart.* 449. Annus a typographis adiectus: nam in Graeca edita a PITHOEIS non extat. Suppleri poteſt ſic: *Protogene, et Aſtorio coſſ.* Ita in *L.* 8. *de repud.* hoc anno lata.

§. 4. *L.* 4. Inſcriptio: *Imp. Marcianus A. Palladio praef. praet.* Corrige: *Imp. Maiorianus A.* cet. Is enim, coſſ. Patricio et Richimero, imperaba a. Chr. 459. Extat haec conſtitutio (et notat. IAC. GOTHOFREDVS) in Actis concilii Chalchedonenſis, *Act.* 3. et quidem *tom. IIII. Concil. general. col.* 841. ſed cum alia ſubſcriptione. Idque notatum non reperies apud PITHOEOS, doctiſſimos caeteroquin huius legis illuſtratores.

§. 5. *L.* 8.) In epiſtola Iuſtiniani in fine: *Iuſtiniano P. P. (IIII) et Paulino V. C. coſſ.* Annus eſt Chr. 534. quo Iuſtinianus A. IIII. et Decius Theodorus Paulinus conſules fuerunt. Itaque ſine parentheſi, *A. IIII.* reponendum. Sine Auguſti titulo numquam Imperatorum nomina in inſcriptionibus legum, uel ſubſcriptionibus ponebantur. Et ita apud

pud PITHOEOS inuenies, ſine parentheſi, et *A. IIII.*

TIT. II.

DE SS. ECCLESIIS.

§. 6. *L.* 1.) Subſcriptio: *PP. V. Non. Iul. Romae, Criſpo II. et Conſtantino II. conſſ.* et ita apud PITHOEOS. Lex Conſtantini Magni A. Ambo conſules Caeſares erant. Itaque ſcribendum: *Criſpo* II. *et Conſtantino II. CC. conſſ.* Et ita in *L.* 6. *ſi pendent. appellat. L.* 4. *de maleſic. et mathemat. L.* 2. *pro quib. cauſſ. ſeru. L.* 1. *de falſ. monet.* Omnes hoc anno latae.

§. 7. *L.* 3.) Inſcriptio: *Impp. Honorius et Theodoſ. AA.* Et ita in Pithoeanis. Corrige: *Imppp. Valentinianus, Theodoſius, et Arcadius AAA.* Hi enim imperabant a. Chr. 386. coſſ. Honorio N. P. in Oriente, Euodio V. C. in Occidente, quibus haec data eſt lex. Et ita inſcribuntur aliae leges, his conſulibus latae; ut *L.* 14. *de religioſ. et ſumtib. funer.* eadem die *III. Kal. Mart.* data, *L.* 7. *de offic. rector. prouinc. L.* 1. de *his, qui ad ſtat. confug.* et aliae quatuor.

§. 8. *L.* 4.) Subſcriptio: *dat. VII. Kal. Sept. Eudoxiopoli. Honorio A. VIII. et Theod. Iuniore A. VIII. conſſ.* 409. Ita in Pithoeana. GOTHOFREDVS *n.* 17. inquit: *uitium eſt in hac ſubſcriptione.* Nobis uir clariſſimus reliquit emendationem. Reponendum itaque: *et Theodoſio Iuniore A. III.* Ita in aliis legibus eodem anno latis; ut in *L.* 2. *de offic. ciuil. iudic. L. un. de aur. publ. perſecut. L.* 13. *de Iud. et coelicol. L.* 5. *de Spectac.* Octo enim ſuperſunt ex bene notatis.

§. 9. *L.* 5. Inſcriptio : *iidem AA. Militio PP.* Auguſti ſunt Honorius et Theodoſius. Corrige : *Melitio PP.* Illuſtrat IACOBVS GOTHOFREDVS in *Proſopographia.*

§. 10. *L.* 6. Inſcriptio : *iidem AA. Philippo praefecto praefectorio Illyrici.* Ita etiam in Pithoeano. Perperam huius legis auctores facit *Honorium et Theodoſium AA.* qui praecedentem tulerunt. Haec data *Euſtachio et Agricola coſſ.* qui conſulatum geſſere dubio procul ad a. Chr. 421. quo additus nouus Auguſtus *Conſtantius.* THEOPHANES (apud PAGIVM, a. 420.) ſub anno incarnationis, ſecundum Alexandrinos ccccxiii. qui Kalendis Septembris a. Chr. 420. incepit, ait : *hoc anno Conſtantius, Valentiniani pater, imperium obtinuit, ſexto Idus Februarias : quarto uero Nonas Septembriles occiſus eſt.* Addendus itaque *Conſtantius A :* et eum agnouit *L.* 4. *de bon. uacant.* data iisdem coſſ. prid. Id. Iul. cuius haec epigraphe: *Impp. Honorius et Theodoſius AA. et Conſtantius* A. quae normam praeſtat noſtrae emendationi.

§. 11. *L.* 8.) Inſcriptio: *Imp. Carus Praeſidoro P. P.* In notis num. 43. al. *Imp. Theodoſius.* Subſcriptio : *dat. VI. Id. Oct. CP. Victore V. C. conſſ.* 424. Ex huius legis inſcriptione motus magnus BARONIVS, ſtatuit *Carum A.* bene meritum de Chriſtianis fuiſſe. At idolorum cultui addictum nemo ambigit : et nummi eiuſdem apotheoſeos *diuum* pronunciant. Inſcriptionis error Cardinalem doctiſſimum ad hunc ſcopulum adegit. IAM RVSSARDVS, CONTIVS, IAC. GOTHOFREDVS, aliique ex ſubſcriptione notarunt , reducendam ad a. Chr. 424. quo *Theodoſius Iunior* A. tribunitiam poteſtatem XXII. gerebat , conſulibus *Caſtino et Victore.* In noſtris autem legibus fere ſemper *Victor* ſolus nominatur.

Eſt

Eſt haec lex transſcripta ex fine *L.* 33. *de annon. et tribut.* Itaque, ut in illa, inſcriptio reponenda: *Imp. Theod. A. Iſidoro P. F. P. Illyrici*, cum ſubſcriptione eiusdem: *dat. VI. Id. Octob. Conſtantinop. Victore V. C. conſ.* 424. et quidem confirmatur ex *L.* 12. *de annon. et tribut.* eodem die et anno lata, et Iſidoro *P. P. Illyrici* inſcripta in noſtro Codice.

§. 12. *L.* 26. Subſcriptio: *data XIII. Kal. Nou. CP. Lampadio et Oreſte conſſ.* 130. Similiter exarata in Pithoeanis, *pag.* 57. At cum haec nota ſit chronologica anni, emendanda eſt, et reponendum 530. qui eſt annus Chr. quo lata, et tertius imperii Iuſtiniani A. ex die IIII. Kal. Aprilis.

TIT. III.

DE EPISCOPIS, ET CLERICIS, cet.

§. 13. *L.* 2.) Inſcriptio: *Conſtantinus A. (et Iul. Caeſ.) Felici epiſc.* Ita in Pithoeana, ſed ſine parentheſi. Pertinet ad a. Chr. 357. quo Imperator Conſtantius (ut in ſubſcriptione) A. VIIII. et Iulianus Caeſar II. conſules fuere. Itaque pro *Conſtantinus*, reponendum *Conſtantius.* Neque parenthesis illa neceſſaria; cum *Iulianus Caeſar* ſocius ſit Conſtantii hoc anno in inſcriptionibus, *L.* 5. *de malefic. et mathemat. L.* 2. *de ſtationar. L.* 3. *de nauicular.* et aliis.

§. 14. *L.* 4. Inſcriptio: *idem A. ad Taurum.* Inſcriptio *L.* 3. praecedentis fuit: *idem A. et Iul. Caeſ. ad Taurum;* hoc eſt Conſtantius A. et Iulianus Caeſar; ut correctum eſt. Ex quo ſatis conſtat hanc corrigendam, ſcribendo ſimiliter: *idem A. et C. ad Taurum.* Quod euincitur ex *L.* 9. *de inoffic. donat.*

hoc anno lata, cuius inſcriptio eſt: *Imp. Conſtantius A. et Iulianus Caeſ. Olybrio.* Etenim ex die III. Nouembris a. Chr. 360. auguſteam tribunitiam poteſtatem capeſſiuit Iulianus Caeſar, et haec eſt a. 361.

§. 15. *L.* 5.) Inſcriptio: *Imp. Iouinian. A. Secundo praef. praet.* Et quidem de huius legis inſcriptione dubitari poſſet: nam Iouinianum A. mortalitatem exuiſſe affirmant ad XIIII. Kal. Martii. Ita EVTROPIVS, et probat PAGI. Alii ſignant diem XIII. Kal. Martii, auctoritate SOCRATIS: alii cum Chronic. Alexandr. XII. Kal. Martii: quae omnes notae temporariae excludunt Iouinianum ab huius legis latione. Alii denique XI. Kal. Martii mortuum dicunt, cum IDACIO, quem ſequitur MEDIOBARBVS: et erit dies datae noſtrae legis emortualis Iouiniani A. Cui autem referenda? nam interregnum decem dierum fuit ad inaugurationem uſque Valentiniani et Valentis AA. Subſcriptio: *dat. XI. Kalend. Mart. Gratiano A. III. et Merobaude conſſ.* Notat GOTHOFREDVS in Florentinis reponendum: *Iouiniano et Varroniano conſſ. ut habetur quoque in Codice Theodoſiano: item addendus locus, in quo haec lex data,* Antiochiae, *ut eodem Codice Theodoſiano.* Recte quidem; nam inſcriptio pertinet ad a. Chr. 364. ſubſcriptio uero ad a. 377. Accedit euidentiſſima probatio *L.* 2. *de erogat. militar. annon.* quae eſt eiuſdem anni 364. et eandem habet inſcriptionem: *Imp. Iouianus A. Secundo P. P.* ſubſcriptionem uero hanc: *dat. V. Kalend. Octob. Aedeſae, Iouiano et Varroniano conſſ.* 364. Error fuit typographi, qui legis ſequentis conſules induxit.

§. 16. *L.* 6.) Inſcriptio: *Imperatores Valentinianus, Valens, et Gratianus AAA. ad Cataphronium.* Ita etiam in Pithoeana. Corrigenda typographi trans-

tranſpoſitio in Auguſtorum nominibus. Edere debuit: *Imppp. Valens, Gratianus, et Valentinianus AAA.* Et ita recte in aliis legibus huius anni Chr. 377; nempe *L.* 10. *de dignitat. L.* 2. *de re milit. L.* 8. *de aedific. priuat.* cet. Haec autem eſt ſubſcriptio: *dat. III. Non. Mart. Gratiano A. III. et Merobaude conſſ.* Error manifeſtus: nam *Gratius* III. conſulatum geſſit cum *Aequitio* a. Chr. 377. Itaque reponendum: *Gratiano A. IIII. et Merobaude conſſ.*

§. 17. *L.* 7.) Inſcriptio: *Imp. Theodoſius dixit.* Sine die et conſule. Transſcripta eſt ex *L.* 8. *C. Th. de fid. teſt.* ex cuius inſcriptione et ſubſcriptione ſuppleri poteſt ſic Inſcriptio: *Imppp. Gratianus, Valentinianus, et Theodoſius AAA. pars actorum conſiſtorii.* Subſcriptio: *dat. III. Kal. Iul. Conſtantinop. Siagrio et Eucherio VV. CC. conſſ.* 381.

§. 18. *L.* 8.) Inſcriptio: *idem Paulino praefecto Auguſtali.* Superior explicata ad *Imperatorem*, cuius nomen non extat, pertinet. Quis hic *idem?* Si tribus relatis damus, non *idem.* Supplenda ex aliis huius anni, per conſulatum ſubſcriptionis cognitum, ſcilicet *Arcadii A. et Bauthonis*, a. Chr. 385. Itaque reponenda inſcriptio, ut in eiusdem anni *L.* 5. *de diuerſ. reſcript.* nempe: *Imppp. Valentinianus, Theodoſius et Arcadius AAA.* cet.

§. 19. *L.* 10.) Subſcriptio: *dat. VII. Kal. Maii: Mediolani. Honorio III. et Eutichiano conſſ.* 398. Inſeparabilis eſt Auguſti titulus ab Imperatorum nomine. Corrige: *Honorio A. III.* cet.

§. 20. *L.* 15.) Inſcriptio: *iidem AA. Studio P. V.* Similiter in Pithoeana. Perperam ſuperiorem transſcripſit, nempe *Arcadium et Honorium* intelligendo. Etenim ex die X. Ianuarii a. Chr. 402. Theodoſium Iuniorem aſſociarunt, data ei tribunitia poteſtate. Itaque ſic concipienda: *Impp. Arcad. Honor.*

et Theodoſ. AAA. Studio P. V. Data eſt *IIII. Kal. Sept. Honorio A. VI. et Ariſtaeneto conſſ.* 404. Et eodem anno, iisdemque conſulibus legimus in *L.* 1. *de agent. in reb.* hanc inſcriptionem: *Imppp. Arcad. Honor. et Theod. AAA. Anthemio magiſtro officiorum.* Quae ante noſtram data eſt, nempe *prid. Kal. Iul.*

§. 21. *L.* 18.) Inſcriptio: *iidem AA. Monaxio P. P.* Idem in Pithoeana. Erant in antecedenti Honorius et Theodoſius AA. Subſcriptio: *dat. III. Non. Febr. CP. Honorio XII. et Theodoſio X. AA. conſſ.* Conſulatus XII. Honorii fuit a. Chr. 418. (et ita notat Gothofredvs) ſed cum VIII. non autem X. Theodoſii. Videbatur reducenda ad a. Chr. 422. quo Honorius XIII. et Theodoſius X. conſules fuere; reponendo *Honorio XIII.* Sed cum lex ſequens annum Chr. 420. praeferat, et *fere ſemper* chronologice diſpoſitae ſint leges a Triboniano: potius crederem uitiatam eſſe notam numeralem conſulatus Theodoſii, et reponi debere: *Honorio XII. et Theodoſio VIII. AA. coſſ.*

§. 22. *L.* 19.) Subſcriptio: *dat. VIII. Idib. Maii. Rauen. D. N. Theodoſ. A. VIIII. et Conſtantio V. C. conſſ.* 420. Deſumta eſt ex *L.* 44. *de epiſcop. et cleric.* Corrige duos errores, non notatos a. V. Cl. Iacobo Gothofredo. Primus eſt, quod *Conſtantius*, iam creatus *Caeſar*, hoc anno huiusmodi titulo fraudatur. Secundus, quod litterae ſingulares adiectae ſunt, *V. C.* Caeſaribus enim et Auguſtis *uiri clariſſimi* titulum minime conuenire, iam monuimus. Imperiti librarii *C.* notam Caeſaris, in *V. C.* facile mutarunt. Adde: Et conſul fuit Conſtantius a. Chr. 414. iterum a. 417. tertium hoc anno 420. Itaque reponendum: *et Conſtantio Caeſ. III.* Aliquae leges huius anni collegam Theodoſii conſulem notant,

ſed

ſed falſo *Conſtantinum* appellant; ut ſuis locis uidebimus et caſtigabimus.

§. 23. *L.* 20.) Subſcriptio: *dat. XIIII. Kalend. Ian. Ariuindo et Aſpere conſſ.* 334. In Pithoeana *Ariouindo*. Corrige *Ariebindo*. Ita faſti et hiſtorici in hoc, et in nepote, de quo ſuo loco. Scribe etiam *Aſpare*. Ita in *L.* 12. *de fund. patrimonial.* et in *L.* 2. *de frument. urb. Conſtantinopol.* Ambae huius anni; non 334. ut DIONYSIVS GOTHOFREDVS (nota a typographis uitiata) edidit, ſed 434. Chriſti domini.

§. 24. *L.* 23.) Subſcriptio: *dat. Conſtantinop. pridie Nonas* (ita ſine menſe *Auguſti* PITHOEVS ſe legiſſe in quodam codice refert) *Aſporatio*, *et qui fuerit nuntiatus*, *conſſ.* Integram edidit LEVNCLAVIVS in Notis ad Baſilicon *cap.* 58. Conſul, qui dicitur nuntiandus, fuit *Herculanus* in Occidente, a. Chr. 452. Quorum ſimul meminere *L.* 10. *de aduocat. diuerſor. iudic.* et *L.* 2. *de conſulib.* datis hoc anno.

§. 25. *L.* 29.) Subſcriptio: *dat. Kal. Iun. Leone et Probiano conſſ.* 466. Et ita in Pithoeanis. Corrige: *Leone A. IIII. et Probiano coſſ.* Hoc in omnibus faſtis conſtans eſt, et probari poteſt ex *L.* 14. *de cohortalib. princip.* Neque pertinet ad a. Chr. 466. ſed ad a. 471; illo enim anno Leo A. conſul III. (non IIII.) trib. pot. X. numerabat; hoc autem trib. pot. XV. ex die I. Aprilis gerebat.

§. 26. *L.* 35.) Subſcriptio: *dat. Non. Ianuarii C. P. Martiano et Zenone A. conſſ.* Delendum eſt punctum inter C et P, ſic CP *Conſtantinopoli*; et A. poſt Zenonem: non enim adhuc erat Auguſtus hic conſulibus, anno ſcilicet Chr. 469. ſed inauguratus eſt die XVIIII. Ianuarii, a. Chr. 474. Quod non aduertit PITHOEVS, qui notat in altero ueteri codice legi: *dat. X. Kal. Ianuar. CP. Marco conſ.* At de-

prauatus erat procul dubio, nam Marcum conſulem non habemus.

§. 27. *L.* 41.) Subſcriptio: *datum XIII. Kal. Decemb. CP. Iuſtiniano A. III. et Opiliano conſſ.* 524. Et ita in Pithoeana. Pro *Iuſtiniano*, repone *Iuſtino*; pro *Opiliano*, dicendum *Opilione*. Ambos, ut coniicimus, reperies in *L.* 7. *de aduocat. diuerſ. iudic. L.* 8. *eod. L.* 23. *de teſtam.* quae ſunt huius a. Chr. 524.

§. 28. *L.* 44.) Subſcriptio: *dat.* IIII. *Kalend. Nouembr. C. P. Lamp. et Oreſte VV. CC. conſſ.* 530. Et ita in Pithoeano. Punctum inter CP. tollendum: quod mendum et hic quoque typographis uitio uertimus.

§. 29. *L.* 52.) Sine die et conſule in hoc noſtro Codice. Subſcriptio apud eruditiſſimos Pithoeos, *pag.* 127. haec: *dat. Kal. Nou. poſt conſulat. Lamprid. et Oreſt.* Sed corrige: *Lampad.*

§. 30. *L.* 54.) Subſcriptio: *dat. XV. Kal. Decembr. C. P. D. N. Iuſtiniano P. P. A.* II. *conſſ.* 533. Et ſic apud Pithoeos, *pag.* 135. Primo deleatur punctum inter CP; ualent enim *Conſtantinopoli:* et inter PP. quae *perpetuo* ſignificant. Et ita in ſubſcriptione *L.* 3. *de ueter. iur. enucl.* ibi: *domino noſtro Iuſtiniano perpetuo Auguſto III. conſ.* et in *L.* 4. *de ſportul. et ſumtib.* ibi: *dn. Iuſtiniano perp.* A. III. *conſſ.*, quae, ut noſtra, a. Chr. 533. latae ſunt. Secundo, eſt corrigenda conſulatus nota, et ſcribendum III. ut in dictis legibus, non II, ut in noſtra. Tertio, non *conſſ.* ſed *conſ.* unica ſ. ſcribendum; nam is conſulatus Iuſtiniani A. ſine collega fuit.

TIT.

TIT. IIII.

DE EPISCOPALI AVDIENTIA, cet.

§. 31. *L.* 1.) Licet haec lex uideatur interpolata ex *L.* 5. *C. Th. de luſtrat. conlat.* ut notarunt CVIACIVS et IAC. GOTHOFREDVS; tamen diuerſae habendae ſunt. *Haec* directa eſt ad Iulianum, comitem orientis; *illa* Secundo P. P. *Haec* data *XV. Kal. Martii Conſtantinopoli;* illa *XV. Kal. Maii ibidem.* Haec coſſ. *Valent. et Valente AA.* hoc eſt a. Chr. 365; *illa*, diuo *Iouiano et Varroniano coſſ.* hoc eſt a. Chr. 364. Noſtram perperam refert nota Gothofrediana Pandectarum ad a. Chr. 368., nec aliter PITHOEVS. Atque eo anno ſecundus conſulatus Valentiniani et Valentis AA; et noſtra lex notam II. numeralem non habet; itaque ad primum referenda eſt conſulatum. Inſuper mens, ſenſus, materia, et ſententia noſtra diuerſae ſunt, licet uerba utriuſque parum inuicem diſtare uideantur. Potuit ſcriba phraſi eadem uti reſcribendo diuerſis perſonis.

§. 32. *L. tres tantummodo* poſt tertiam) Sine Imperatore, die, et conſule, et ita apud PITHOEOS. Fragmentum eſt *L. ult. de offic. praetor.* quae habet hanc inſcriptionem: *Impp. Valent. et Mart.* AA. *Tatiano PP.* ſubſcriptionem uero hanc: *Valentiniano VI. et Auieno conſſ.* 450. errore quidem notiſſimo, ut in *d. l. ult.* §. 101. dicemus, ne eadem bis repetamus.

§. 33. *L.* 4.) Sine die et conſule. Et ita apud PITHOEOS. Inſcriptio: *Imppp. Theod. Arcad. et Honor.* AAA. *Rufino P. P.* Sed cum tranſcripta ſit ex *L.* 12. *C. Th. de ſcenic.* cuius pars media eſt; ex

c2

ea hanc mutuamus ſubſcriptionem: *dat.* III. *Kalend. Iul. Heracl. Arcad. A. III. et Honorio A. II. coſſ.* Lata ergo a. Chr. 394.

§. 34. *L.* 6.) *Iidem AA. Eutychiano.* Prima pars huius legis tranſcripta eſt ex *L.* 16. *C. Th. de poen.* et ex ea ſuppleri poteſt, cum legatur: *Eutychiano PF. P.* poſt aliae; et ita in *L.* 7. *ſequ. h. t.* Haec referenda ad a. Chr. 398. Repetitur haec lex in *L.* 29. *de appellat.* ſed interpolatae, iisdem autem conſulibus, quod notatum a PITHOEO.

§. 35. *L.* 8.) Inſcriptio: *Imppp. Arcadius, Honor. et Theod. AAA. Theodoro P.P.* Et ita apud PITHOEOS. In Florentinarum margine notatur: *expungendum eſt Arcadii nomen.* Rationem damus. Lex data Idib. Decembr. Baſſo et Philippo coſſ. a. Chr. 408. Eodem anno iam mortuus erat Arcadius a Kal. Martii.

§. 36. *L.* 12.) Inſcriptio: *Impp. Theod. et Valent. Florentio P. P.* Adde: *AA. Florentio PP.* Ita ſcriptum in *L.* 2. *C. Th. de lenonib.* cuius haec pars eſt; et AA. nomine ſemper in iure legum latores exprimuntur.

§. 37. *L.* 26.) Subſcriptio: *dat. VIII. Kal. Iul. Chalced. Lampad. conſſ.* 530. Et ita in Pithoeana. Si unus conſul, cur duplici *SS. conſſ?* Repone: *Lampad. et Oreſte VV. CC. conſſ.* ut in uiginti ſeptem aliis legibus, hoc anno ante praefatam latis, et quinquaginta ſex poſt eam.

§. 38. *L.* 29.) Subſcriptio: *dat. XV. Kal. Nouemb. CP. Lamp. conſ.* 530. Supple: *Lampad. et Oreſte conſſ.* ut proxime diximus.

§. 39. *L.* 30.) Subſcriptio: *dat. V. Kalend. Aug. CP. poſt conſſ. Lampad.* Adde: *et Oreſt.* ut in antecedentibus. Id euincit duplex SS. in uerbo *conſſ.* Lampadio ſoli una ſufficiebat. Praeterea eodem anno (Chr. 531.) Iuſtinianus A. huius legis auctor,

LXXI.

LXXI. Conſtitutiones publicauit, quae omnes, hac una (quae XXIII. ordine eſt) excepta, Lampadium et Oreſtem habent conſules.

§. 40. *L.* 33.) Inſcriptio: *idem A. ubique terrarum conſtitutis epiſcopis.* Subſcriptio: *dat. Kal. Nouemb. C. P. D. N. Iuſtin. IIII. et Paulino conſſ.* 534. Idem in editione Pithoeana. Contendit DV-FRESNE, *Hiſtor. Byzant. pag.* 96. *litt. X.* hanc eſſe Iuſtini A. non Imperatoris noſtri Iuſtiniani A. Sed perperam: nam ille nunquam collegam in conſulatibus habuit *Decium Theodorum Paullinum*; qui a. Chr. 534. conſul proceſſit cum Iuſtiniano A. IIII. Et in ſubſcriptione quidem caret A. titulo Iuſtinianus, et V. C. Paullinus. Vtrumque reperies in lege ſequenti, ad cuius normam hanc emendare potes.

TIT. V.

DE HAERETICIS, ET MANICHAEIS, ET SAMARITIS.

§. 41. *L.* 1.) Inſcriptio: *Imppp. Conſtantin.* (*Conſtantius, et Conſtans*) *ad Dracilianum* (*praefect. urbi.*) Plura emendanda. Lex haec transſcripta eſt ex *L.* 1. *C. Th. de haeretic.* in qua legitur: *Imp. Conſtantinus ad Dracilianum.* Et ita reponendum in noſtra, caetera delendo, ut notat V. Cl. IACOBVS GOTHOFREDVS ibidem. Ita etiam corrigenda in *Obſeruationibus* PITHOEORVM fratrum, ubi edita eſt noſtra integra ſine parentheſi. Imperabat enim ſolus Magnus Conſtantinus, conſulibus ipſo A. VII. et Conſtantio Caeſ. hoc Chr. a. 326. et quidem Kal. Septembr. quibus lex data eſt, tribunitiam poteſtatem XXI. gerebat. Et titulus *praefecti urbi* expungendus, notante eodem IAC. GOTHOFREDO; nam conſtat ex *L.* 1. *C. Th. de uſur. Dracilianum*

num ſub Conſtantino M. fuiſſe *agentem uices* praefecti praetorio. Subſcriptio habet: *Conſtantino A. VII. et Conſtantio conſſ.* et ita in Codice Theodoſiano. Sed in utroque addendum (etſi non animaduerterint critici): *Conſtantio Caeſ. conſſ.* tum quia *Caeſar* erat, neque hanc dignitatem legis omittunt: tum quia ſic habet *L.* 3. *de pact. pign.* quae ad hunc annum pertinet, *L.* 2. *de curſ. public.* et aliae.

§. 42. *L.* 2.) Inſcriptio: *Imppp. Grat. Valentin. et Theod. AAA. ad Heſperium PF. P.* Et ita apud Pithoeos, et in initio *L.* 5. *C. Th. h. t.* ex qua haec deſumpta. Subſcriptio: *dat. III. Non. Auguſt. Mediolani. Auſonio et Olybrio conſſ.* 372. Ita Pithoeanis. At in Codice Theodoſ. *dat. III. Non. Aug. Med. Accep. XIII. Kalend. Sept. Auſonio et Olybrio conſſ.* 379. et ita corrigenda in Iuſtinianeo. Etenim a. Chr. 379. (non 372) conſules fuere *Decius Magnus Auſonius* et *Q. Clodius Hermogenianus Olybrius*, in lapidibus Lipsii, Grvteri, Reinesii cet. memorati.

§. 43. *L.* 4.) Inſcriptio: *iidem, et Theod. AAA. ad Senatorem P. urb.* Ita in Pithoeanis. Eſt interpolata ex *L.* 40. *C. Th. h. t.* ubi: *iidem AAA. Senatori PF. P.* Itaque male in noſtra *P. V.* Subſcriptio in utroque Codice eadem. Pertinet ad a. Chr. 407.

§. 44. *L.* 5.) Inſcriptio: *Impp. Theod. et Valentinianus C. Florentio P. P.* Ita etiam apud Pithoeos: ſed perperam. Recte in *L.* 55. *C. Th. h. t.* ex qua deſumta eſt, licet interpolata, eamdem habente ſubſcriptionem: *Impp. Theod. et Valentinianus AA. Florentio P. P.* et ita reponendum. Quid enim ſibi uult C. poſita loco AA? Nam Valentinianus erat Auguſtus, et tribunitiam gerebat poteſtatem III. Caeſar uero

uero eſſe deſiit XXIII. Octobris a. Chr. 425. Lex 5. lata eſt a. Chr. 428.

§. 45. *L.* 7.) Subſcriptio: *dat. prid. Kal. Febr. Theodoſio A. XVI. et Fauſto conſſ.* 439. Ita in Pithoeanis. Corrige: *Theodoſio A. XVII.* Hunc conſulatum geſſit cum *Fauſto* collega a. Chr. 439. et ita in XXVIII. legibus illo anno latis; duabus aliis exceptis, male omnino hanc conſularem notam habentibus.

§. 46. *L* 8.) Inſcriptio : *Impp. Valentinianus et Martianus AA. Palladio P. P.* Ita etiam apud PITHOEOS ; ſed perperam : nam ſubſcriptio eſt : *dat. Conſtantinop. Id. Aug. Conſtantio et Rufo conſſ.* 457. Qua de cauſſa aduertit DIONYSIVS GOTHOFREDVS pertinere hos conſules ad a. Chr. 457. Inſcriptionis autem ne uerbum quidem facit. Imperator *Valentinianus* A. occiſus fuit die XVIIII. Martii a. Chr. 455 ; quam ob rem huius legis auctor eſſe non potuit. *Martianus* A. fato ceſſit die XXIIII. Februarii huius anni 457. Itaque nec Martianus *Idib. Auguſti* legem hanc tulit. Vera igitur inſcriptio : *Impp. Leo et Maiorianus AA. Palladio P. P.* Ambo enim ad diem Kalend. ſiue primam Aprilis , conſulibus *Conſtantio et Rufo* , inaugurati ſunt.

§. 47. *L.* 9.) Eadem macula deformatur. *Imp. Marcianus.* Ita etiam apud fratres PITHOEOS. Data eſt eadem die et iiſdem conſulibus , ac *L.* 8. de qua dictum proxime ſuperius ; ideoque eamdem repones epigraphem.

§. 48. *L.* 10.) Subſcriptio: *dat. V. Id. Auguſt. Boëtio V. C. conſſ. et Eutherico* 511. Similiter PITHOEI. Conſules ſunt a. Chr. 510. non autem 511. Reponendum *Eutharicô;* et ita recte BARONIVS , et PAGI , et ante eos plures faſtorum antiqui ſcriptores. Loquens de ſubſcriptione noſtra eruditus PAGI , hoc

hoc anno, haec profert: *ſed non dubito, quin reſpexerint ad ſubſcriptionem L.* 10. *de haeretic. quae dicitur data V. Id. Aug. Boëtio V. C. coſſ. et Eutherico. Verum uox illa* Euthericus *a librariis in eum locum inſerta, ut etiam oſtendit uox coſſ. quae ante Eutharicum praeponitur, et cum duplici S. exaratur. Sunt et infiniti alii in eodem Codice errores, quoad conſulum, aliorumque nomina, qui exſcriptoribus attribuendi.* Alio uſus erat antea argumento, et quidem non leui. Nam Boëtius proponitur ſolus conſul, ſine collega, a Marcellino, Cassiodoro, *auctore faſtorum Heraclianorum*, Victore Tvnnvnensi, Mario, et *chronographo Cuſpinianeo*. Basnagivs, qui poſt Pagivm ſcripſit, *Eutharicum* conſulem hoc anno fuiſſe propugnat; et quidem illum, cui Theodoricus rex Amalaſuntham filiam matrimonio copulauit, ut Cassiodorvs, *coſſ. Anthemio et Florentio* (hoc eſt a. Chr. 515.) refert; et Iornandes notat, fuiſſe *Eutharicum Witheri filium, Boreſmundi, et Thoreſmundi nepotem, Amalorum de ſtirpe deſcendentem, in Hiſpania degere, iuuenili aetate, prudentia, uirtute, corporiſque integritate pollentem: ad ſe eum facit uenire; eique Amalaſuntham filiam ſuam in matrimonio iungit.* Hanc ſententiam puto ualde probabilem, et exterum conſulem Hiſpanum a ſcriptoribus illis omiſſum. Sed ſufficiant haec, ne breues notae praeter inſtitutum in hiſtoricas tranſeant diſſertationes.

TIT. VI.

NE SANCTVM BAPTISMA ITERETVR.

§. 46. *L.* 1.) Inſcriptio: *Imppp. Valent. Valens, et Gratianus AAA. ad Flauianum, uicarium Africae.* Ita in Pithoeanis. Inuerſa temporum ratione Auguſtos

guſtos enumerat. Prima clauſula transſcripta eſt ex *L.* 1. *C. Th. eod.* cuius inſcriptio eſt: *Impp. Valentinianus et Valens AA. ad Iulianum, proc. Africae.* Secunda clauſula ex *L.* 2. *C. Th. eod.* quae habet hanc epigraphem: *Imppp. Valens, Gratianus, et Valentinianus AAA. ad Flauianum, uicarium Africae.* Corrigenda noſtra ex hac, quae Imperatores recto numerat ordine. Subſcriptio legis noſtrae haec: *dat. XVI. Kal. Nouembr. Conſtant. Gratiano A. IIII. et Merobaude conſſ.* 377. Et eadem formula in Pithoeanis. Subſcriptio *L.* 1. *C. Th. eod.* haec eſt: *dat. X. Kal. Mart. Treu. Valentiniano et Valente IIII. AA. conſſ.* 373. Non conuenit cum noſtra. Legis autem ſecundae ſubſcriptio: *dat. XVI. Kal. Nouemb. CP. Gratiano A. IIII. et Morabaude conſſ.* 377. Haec ad uerbum eſt noſtra, et retinenda.

TIT. VII.

DE APOSTATIS.

§. 50. *L.* 1.) Inſcriptio: *Imp. Conſtan. et Iulianus* CC. *ad Thalaſſium P. P.* Corrigenda ſic: *Imp. Conſtantius A. et Iulianus* C. *ad Thalaſſium.* Euincitur id ex ipſius ſubſcriptione: *Conſtantio A. VIIII. et Iulian. Caeſ. II. conſſ.* 357. ubi non Caeſar, ſed Auguſtus appellatur Conſtantius, qui eo anno tribunitiam XX. gerebat poteſtatem, Nonis Iulii, quibus data eſt haec lex. Equidem *Iulianus*, Apoſtatae nomine cognitus, creatus fuit *Caeſar* Mediolani VI. Nouembris a. Chr. 355. quare nihil mirum, ſi ſex leges, eo anno latae, *Conſtantini* A. tantum nomine ſint inſignitae; latae ſunt enim ante quam Iulianus *Caeſar* renunciaretur. Sequenti anno 356. nulla eſt lex condita. Nil moror. Verum in eo aqua haeret, quod, cum decem leges habeamus, latas a. Chr.

357. tres *Conſtantinum A.* tantummodo agnoſcant auctorem ; ſeptem uero *Iulianum* quoque *Caeſarem* addant. Ex tribus etiam a. Chr. 358. promulgatis, una tantum *Iulianum Caeſ.* nominat. Anni 359. duas habemus, nulla *Iuliani Caeſ.* adiecta mentione. Anno demum Chr. 360. *Iulianus Auguſtus* factus eſt, die III. Nouembris; et duae leges ante hunc diem latae eiuſdem Caeſaris, una cum Conſtantio Auguſto, meminerunt. Videtur itaque, regulam fixam in his ſequendam, Iulianique nomen ubique reponendum; quia ex more eius ſaeculi Caeſares in legum epigraphe Auguſtos comitabantur. Quod hac dignum animaduerſione iudicauimus, ad lucem ſequentibus praeferendam.

§. 51. *L.* 3.) *Imppp. Theod. Valent. et Arcad. Flauiano P. P.* Ita etiam apud Pithoeos fratres : ſed perperam, et inuerſo ordine. Legendum *Imppp. Valentin. Theodoſ. et Arcad. AAA. Flauiano P. P.* et ita ſcriptum reperies cum in *L.* 4. *C. Th.* ex qua haec noſtra transſcripta eſt, tum in aliis legibus noſtri Codicis, eodem a. Chr. 391. ad quem praeſens pertinet, latis ; ut in *L.* 14. *de excuſat. muner. L.* 12. *de iur. et fact. ignorant.* cet.

§. 52. *L.* 4.) Subſcriptio: *dat. VII. Idib. April. Rauennae. Theodoſio A. XII. et Valentiniano A. II. conſſ.* Id ipſum apud fratres Pithoeos. Praeter morem dat ſeparatim Auguſti titulum unicuique : quod et in aliis huius anni Chr. 426. legibus obſeruare licet. Mihi ex eo corrigenda uidetur, quod in *L.* 7. *C. Th. h. t.* ex qua haec eſt transſcripta, legitur: *Theod. XII. et Valentiniano II. AA. conſſ.* Sed et aliae huius anni leges ita recte habent, ut *L.* 13. *de murilegul. L. un. de conductor.* et aliae.

§. 53. *L.* 6.) Subſcriptio: *dat. prid. Kal. Februar. Theodoſ. XV. et Valentiniano IIII. AA. conſſ.* 433.

Ita

Ita etiam PITHOEI. Notat DIONYSIVS GOTHOFREDVS, aliter haberi in Theodoſii Nouella, ex qua haec lex transſcripta; nempe *Theodoſ. A. XVII. et qui fuerit nuntiatus.* Initio anni data, ignorabat Theodoſius A. legis auctor, an ſe ipſum, an alium creaſſet conſulem Valentinianus. Itaque, prout in Nouella, ſcriptum fuit, *et qui fuerit nuntiatus.*

TIT. VIIII.

DE IVDAEIS, ET COELICOLIS.

§. 54. *L.* 1.) Subſcriptio: *dat. prid. Kal. Iul. Antonino A. IIII. et Balbino conſſ.* 214. Ita etiam apud PITHOEOS. Hunc eſſe ſecundum conſulatum (primus fuit ſuffectus) Balbini, omnes fere accurati ſcriptores notant. At cum in LXVI. legibus, hoc anno latis, ſine numerali nota ſemper proponatur; eam addere uiſum non eſt. Qua de re latius agemus *Libr. II. tit.* 3. Sed anni nota omnino corrigenda, et lex ad antecedentem annum 213. retrahenda.

§. 55. *L.* 7.) Subſcriptio: *et Habundantio conſſ.* 393. Corrige: *Abundatio V. C.* et ita hoc anno in *L.* 7. *de erogat. militar. annon. L.* 1. *de metat.* et in Codice Theodoſiano.

§. 56. *L.* 8.) Inſcriptio: *Eutychiano.* Adde *P. P.* Ita in *L.* 10. *de omni agr. deſert. L.* 10. *de erogat. militar. annon.* et aliis huius anni, et in Codice Theodoſiano, ubi infra, *PF. P.* inſcribitur. Subſcriptio: *dat. VI. Non. Febr. Honor. A. IIII. et Eutychiano conſſ.* 398. Ita utrobique in editione Pithoeana, ſed manifeſto errore; nam Februarius non habet VI. Nonas. Corrigenda et ſupplenda ex *L.* 10. *C. Th. de iuriſdict.* ex qua eſt deſumta: *dat. III. Non. Febr.*

ſtantinopoli, Honorio A. IIII. *et Eutychiano V. C. conſſ.* 398.

§. 57. *L.* 9.) Inſcriptio: *iidem AA. ad Iudaeos,* Ita etiam in Pithoeana. Clarius in *L.* 10. *C. Th. de Iudaeis*, ex qua haec deſumta: *Impp. Arcad. et Honor. AA. ad Iudaeos.* Vtinam omnes nomina expreſſa retinuiſſent. Subſcriptio: *dat.* IIII. *Kal. Mart. Conſtant. Arcadio* IIII. *et Honorio* III. *A. conſſ.* 396. Repone: *AA. conſſ.* ut ambos *Auguſtos* comprehendat.

§. 58. *L.* 10. Inſcriptio: *iidem AA. Theodoſius A. Eutychiano P. P.* Deſumta eſt ex *L.* 165. *de decurion.* quae ſic inſcribitur: *iidem AA. Eutychiano PF. P.* et duos *Auguſtos* enumerat, *Theodoſium* praeterit, cuius meminit noſtra. Quaenam uerior? Neque ex ſubſcriptione dubium tollitur. Iuſtinianea haec *dat.* III. *Kal. Ianuar. Theod. A.* I. et *Rumoridio conſſ.* 403. Theodoſiana: *dat.* III. *Kal. Ian. Theodoro V. C. conſſ.* 399. Conſules et anni diuerſi: quod cum Iacobvs Gothofredvs notaſſet, dubium non ſoluit. Sed Iuſtinianeam falſam eſſe ex his deduci poſſe uidetur. Primo, quia credendum magis Codici Theodoſiano, ex quo deſumſit Tribonianus. Secundo, quia praeter morem additur in inſcriptione Theodoſius A. duobus AA. Tertio, quia facile imperiti librarii, nominis frequentia et ſimilitudine decepti, in ſubſcriptione *Theodorum* conſulem in *Theodoſium* mutauere. Quam inepte, ſatis indicat illud A. I. quando primus conſulatus numquam numerali nota in legibus, neque in inſcriptionibus ſignari conſueuit, Quarto, collegam Theodoſio A. adiunxerunt *Rumoridum*, qui in hoc, et in Theodoſiano Codice *Rumoridus* dicitur. Ex quibus omnibus iudicabam, Iuſtinianeam noſtram ad normam Theodoſianae corrigendam, et ad annum Chr. 399. referendam. Con-

Conſul ſine collega, *Theodorus* proponitur; quia *Eutropius* eunuchus omnibus fuerat honoribus ſpoliatus, et relegatus; ut IACOBVS GOTHOFREDVS in *Chronologia* erudite notat, uti ſolet.

§. 59. *L.* 19.) Interpolata eſt ex Nouella Theodoſii, Codic. Theodoſian. *de Iudaeis*. Inſcriptio in noſtra: *iidem AA. Florentio P. P.* In Nouella uero: *Impp. Theod. et Valentin. AA. Florentio P. P. orientis:* quod addendum. Subſcriptio noſtra: *dat. prid. Kal. Febr. Theod. A. XVII. et (Feſto) conſſ.* 439. In Nouella autem: *dat. prid. Kal. Febr. Theod. A. XVII. et qui fuerit nuntiatus.* Verbum (*Feſto*) parentheſi incluſerunt librarii, ut ex coniectura adiectum ſignificarent: nam re uera collega Theodoſii A. fuit a. Chr. 439. a. Valentiniano Aug. creatus, qui occidenti praeſidebat.

TIT. X.

NE CHRISTIANVM MANCIPIVM HAERETICVS, cet.

§. 60. *L.* 1.) Inſcriptio: *Impp. Honor. et Theodoſ. AA. Monoxio P. P.* Similiter apud PITHOEOS. Corrige: *Monaxio P. P.* Ita in pluribus huius Codicis, et Theodoſiani legibus. Subſcriptio: *dat. IIII. Idib. April. Conſtantinop. Honor. A. II. et Conſtantio V. C. II. conſſ.* 417. Corrige: *Honorio A. XI.* quo in conſulatu *Conſtantium V. C.* II. conſulem collegam habuit, a. Chr. 417. Et ita in aliis legibus hoc anno latis; ut in *L.* 7. *de cenſib. et cenſitor. L. un. de uenation. ferar.* cet.

TIT. XI.

DE PAGANIS, ET SACRIFICIIS, et TEMPLIS.

§. 61. *L.* 1.) Inſcriptio: *Imp. Conſtantinus ad Taurum P. P.* Similiter apud PITHOEOS *Auguſti* nomen Imp: addendum, ut dicemus. In Codice Theodoſiano *L.* 4. *h. t.* ex quo noſtra depromta, habetur: *idem A. ad Taurum P. P.* IACOBVS GOTHOFREDVS in ultimis Florentinarum notis eam emendauit, et recte *Conſtantio A.* eam tribuit. Et quidem ſubſcriptio noſtrae eſt: *dat. Kal. Decembr. Conſtantio IIII. et Conſtante AA. conſſ.* 342. Codicis uero Theodoſiani: *dat. Kal. Decembr. Conſtantio IIII. et Conſtante II. AA. conſſ.* Error utriuſque manifeſtus eſt; licet ex conſulatu planum fiat, *Conſtantium A.* legis auctorem eſſe, non *Conſtantinum A.* Et quidem mendum irrepſit in noſtra; quia *Conſtantius A.* non IIII. ſed VI. conſul erat. Nam in IIII. *conſulatu* a. Chr. 346. collegam habuit *Conſtantem A. III.* in hoc autem VI. (a. Chr. 353.) *Conſtantinum Galium Caeſarem II.* In Theodoſiana error notatus a GOTHOFREDO eſt corrigendus; et pro *Conſtantio IIII.* ſcribendum eſt *Conſtantio VI*: et praeterea alius ab eo non animaduerſus: nam *Caeſar* erat Conſtantius collega ex Idibus Martii huius anni, ut ex IDACIO probat PAGI ad hunc annum. Vtramque igitur ſubſcriptionem ita emendamus: *dat. prid. Kalend. Decemb. Conſtantio A. VI. et Conſtantio Caeſ II. conſſ.* 353.

§. 62. *L.* 2.) Inſcriptio: *Imppp. Theod. Grat. et Valent. AAA. Cynegio PP.* Mendoſa, ut ex ſubſcriptione conſtabit. Reponendum: *Imppp. Valentinianus, Theodoſius, et Arcadius, Cynegio P. P.* Ita in Codice Theodoſiano *L.* 9. *h. t.* ex qua transſcripta,

et

et ex pluribus Iuſtinianeis, his conſulibus latis. Subſcriptio: *dat. VII. Kal. Iun. Arcad. et Bautone conſſ.* Addendus Arcadio A. titulus; et emendandus locus et dies, ut in Theodoſiano, ubi legitur: *dat. VIII. Kal. Iun. Conſtantinop. Arcadio A. I. et Bautone V. C. conſſ.* 385. Sed ab hac tollenda numeralis nota I. conſulatus, ut dictum eſt. Pertinet haec lex ad a. Chr. 385. quo XXVIII. leges noſtri Codicis datae ſunt, habentes utplurimum corruptiſſimam ſubſcriptionem, quas ſuis locis corrigemus. In unica tantum *Bautoni* titulus *V. C.* datur.

TIT. XII.

DE HIS, QVI AD ECCLESIAM CONFVGIVNT, cet.

§. 63. *L.* 1.) Subſcriptio: *dat. V. Kal. Iun. Conſtantinopoli, Caeſario et Attico conſſ.* 397. Haec lex eſt transſcripta ad uerbum ex *L.* 2. *C. Th. h. t.* in qua legitur: *dat. XV. Kal. Iul.* cet. et ita corrigenda. Quod et V. Cl. Iacobvs Gothofredvs adnotauit.

§. 64. *L.* 2.) Subſcriptio: *dat. X. Kal. Apr. Conſtantin. et Conſtant. conſſ.* 414. Repone: *Conſtantio et Conſtante VV. CC. conſſ.* Ambo hoc titulo etiam honorantur *in L.* 23. *de poen.* et *L.* 14. *de erogation. militar. annon.* hoc a. Chr. 414. latis.

§. 65. *L.* 3.) Subſcriptio: *dat. X. Kal. Apr. Conſtantinop. Antiocho V. C. conſ. et qui fuerit nuntiatus* 431. Recte quidem. Neque quis credat, quod cum haec lex transſcripta ſit ex *L.* 4. *C. Th. h. t.* ubi legitur *Antiocho V. C. et Baſſo conſſ.* etiam in noſtra addendus ſit Baſſus. Nam in exemplari Graeco non aliter legitur; ideoque notauit Iac. Gothofredvs: *hoc de ſuo interpres.* Quod quidem

uel exinde euincitur, quod non *Antiocho V. C. et Baſſo*, ſed potius legeretur: *Antiocho et Baſſo VV. CC.* Eſt lex Theodoſii A. et conſulem ſuum orientalem nominat: ſicuti Valentinianus A. hoc anno, in *L.* 5. *de priuileg. dom. Auguſt.* Rauennae data, *Baſſum*, ſuum conſulem occidentalem, *Antiocho* collegae praepoſuit.

§. 66. *L.* 4.) Inſcriptio: *Impp. Theod. et Valent. AA. Imperio: P. P.* Notauerat IACOBVS GOTHOFREDVS in *L.* 5. *C. Th. h. t.* cuius haec eſt pars, reponendum ut ibi: *Hierio P. P.* Subſcriptio noſtrae legis haec: *dat. V. Kal. April. Valerio et* (*Aëtio*) *conſſ.* Aliter in Codice Theodoſiano, ubi: *dat. V. Kal. April. Conſtantinop. Valerio, et qui nuntiatus fuerit.* Additum: *Aëtio;* cuius conſulis, in occidente a *Valentiniano* A. creati nondum nomen ad aures Theodoſii A., huius legis auctoris, peruenerat. Duas hoc a. Chr. 432. leges tulit Valentinianus A. Rauennae, in quibus (ut ſolitum AA. erat) *Aëtium* praeponit *Valerio.* Eae ſunt *L.* 3. *de ſilentiar.* et *L.* 2. *de domeſtic.* Sequenda nihilo minus antiquior Codicis Theodoſiani lectio, et tollendus ex ſubſcriptione *Aëtius.*

TIT. XIII.

DE HIS, QVI IN ECCLESIIS MANVMITTVNTVR.

§. 67. *L.* 2.) Inſcriptio: *idem A. Oſio.* Supplenda (ut et Pithoeana) ex *L. un. C. Th. h. t.* ex qua transſcripta eſt. *Imp. Conſtantinus Oſio epiſcopo.* Et quidem inſignis ille *Oſius* Hiſpanus, Cordubenſis antiſtes, de quo uidendus eminentiſſ. Cardinalis DE AGVIRRE in *Collect. concilior. Hiſpaniae.* Subſcriptio noſtra: *dat. Kalend. Maii, Criſpo II. et Conſtantino II. conſſ.* 321. Diem corrige ex Theodo-

doſiana ſic : *dat. XIIII. Kal. Maii* , *Criſpo* II. *et Conſtantino* II. *conſſ.* Vtraque tamen corrigenda, et Caeſareae dignitatis titulus addendus, ſic: *Criſpo* II. *et Conſtantino* II. *Caeſ.* (uel CC.) *conſſ.* 321. Et ita in noſtra *L.* 6. *ſi pendent. appellat. L.* 4. *de malefic.* et aliis hoc anno latis.

TIT. XIIII.

DE LEGIBVS, ET CONSTITVTIONIBVS PRINCIPVM, ET EDICTIS.

§. 68. *L.* 2.) *Impp. Theodoſius et Valent. C. ad ſenatum.* Perperam A. titulum ſubtrahit Theodoſio, et Valentinianum, qui iam *Auguſtus* erat, *Caeſaris* tantum nomine inſigniuit. Ex ſubſcriptione correctionis ratio petenda. Ait: *dat. VIII. Id. Nouembr. Theodoſio A. XI. et Valentiniano Caeſare conſſ.* Recte *Caeſar* hic; nam Kal. Ianuar. quibus conſul proceſſit, *Caeſar* erat, et conſulatus ita in faſtis deſcribitur, et in albo praetoris. At cum die XXII. Octobris eiusdem a. Chr. 425. tribunitia poteſtate donatus ſit, ut probat Pagi, *Auguſtea* dignitate accepta: in huius legis epigraphe, quae poſt dies XV. lata eſt, *Auguſtus*, non *Caeſar*, appellari debuit. Itaque inſcriptio ſic emendanda: *Impp. Theodoſ. et Valentin. AA. ad ſenatum.*

§. 69. *L.* 9.) Subſcriptio : *dat. VI. Id. Febr. Anthemio conſſ.* Ita etiam apud fratres Pithoeos, non adiecto anno, inuenies hanc legem Impp. Valentiniani et Martiani AA. ad Palladium P. P. Certum eſt, eam deſumtam fuiſſe a Triboniano ex praefatione Nouellae Martiani A. *de matrimonio ſenatorum*, cuius haec ſubſcriptio: *dat. prid. Non. April. Conſtantinop. Aëtio et Studio conſſ.* Noſtra pertinet ad

a. Chr. 454. Nouella ad ſequentem 455. Cviacivs *Obſeruat.* XII, 31. ſubſcriptionem amplectitur Nouellae; alteram dicit eſſe *L.* 10. et nos non dubitamus.

§. 70. *L.* 10.) Subſcriptio: *dat.* VIII. *Idib. Febr. Anthemio A.* II. *conſ.* 455. Haec nota chronologica falſa eſt. Secundus Anthemii A. conſulatus pertinet ad a. Chr. 468. ut notum eſt ex XI. legibus ab ipſo eo anno latis. Primum conſulatum geſſit a. Chr. 455. Valentiniano et Martiano AA. Haec lex inſcriptione caret: ſed, cum eo anno latae ſint et aliae, ut diximus; ex ipſis ſuppleri poteſt conſtitutio Graeca. Omnes enim habent: *Impp. Leo et Anthemius AA.*

TIT. XVI.

DE SENATVSCONSVLTIS.

§. 71. *L. un.*) Inſcriptio: *Imppp. Gratian. Valentin. et Theod. ad ſenatum.* Omnino male. Nam in ſubſcriptione legitur: *dat.* VII. *Kal. Aug. Heracleae, Richomere et Clearcho conſſ.* 384. Et uere ad a. Chr. 384. pertinet. *Gratianus* A. fuerat occiſus die XXV. Auguſti a. Chr. 383; quam ob rem auctor legis eſſe non potuit. Arcadius *Auguſtus* inauguratus eſt hoc eodem anno, die XVIIII. Ianuarii, nec omittendus. Itaque ſic corrigenda: *Imppp. Valentinianus, Theod. et Arcadius AAA. ad ſenatum.* Ita in *L.* 5. *de mod. mulctar.* et in aliis; licet aliquae mendoſae ſint, ſuis quibuſque locis corrigendae.

TIT.

TIT. XVII.

DE VETERI IVRE ENVCLEANDO, cet.

§. 72. *L.* 2.) Subſcriptio: *dat. XVII. Kalendis Ianuariis, Iuſtiniano, domino noſtro ter conſule feliciter.* Ita etiam apud PITHOEOS. Critici non admittunt *ter conſule*: antiqui enim ſemper *tert. tertio*, *tertium* conſule dixere. Et in Gruteriana CCCCXXIII, 4. legimus: *tertio conſuli ordinario*; quod index Scaligerianus notat, et alii illuſtrant.

TIT. XVIII.

DE IVRIS ET FACTI IGNORANTIA.

§. 73. *L.* 1.) Subſcriptio: *duobus Aſpris conſſ.* 213. Corrige notam chronologicam. Conſules fuere a. Chr. 212.

§. 74. *L.* 2.) Subſcriptio: *Ariano et Papo conſſ.* 244. Error chronologicus. Conſules pertinent ad a. Chr. 243.

§. 75. *L.* 3.) Subſcriptio: *Peregrino et Aemiliano coſſ.* 245. Etiam corrigenda anni nota; fuit enim a. Chr. 244.

§. 76. *L.* 11.) Subſcriptio: *dat.* III. *Kal. Maii, Gallicano et Symmacho conſſ.* 330. Similiter apud PITHOEOS. At cum hanc legem transſcripſerit Tribonianus ex priori parte *L.* 2. *C. Th. h. t.* et ibi legatur, *dat.* IIII. *Kal. Maii;* noſtra ex ea corrigenda eſt.

TIT. XVIIII.

DE PRECIBVS IMPERATORI OFFERENDIS, cet.

§. 77. *L.* 1.) Subſcriptio: *dat. VIII. Id. Octobris, Diocletiano VI. et Maximiano III. AA. conſſ.* 296. Tranſpoſiti ſunt numerales characteres in Diocletiano: legendum IIII. Pertinet uero conſulatus ad a. Chr. 290. non 296.

§. 78. *L.* 3.) Subſcriptio: *dat. prid. Kal. Octobr. Conſtantin. VII. A. et Conſtantio Caeſ.* IIII. *conſſ.* 354. Corrige: *et Conſtantio Caeſ.* III. *conſſ.* Tres leges, latae hoc anno Chr. 354. Conſtantium Gallum Caeſarem perperam notant.

§. 79. *L.* 4.) Inſcriptio: *Imppp. Gratian. Valent. et Theod. AAA. Floriano P. P.* Corrige: *Floro P. P.* Ita in *L.* 2. *de ueſtib. holober. L.* 9. *de calumniatorib.* et aliis quatuor ipſi datis, hoc a. Chr. 382. *Antonio et Syagrio coſſ.*

§. 80. *L.* 5.) Inſcriptio: *Impp. Valentin. et Valens AA. ad Voluſianum P. P.* Corrige: *ad Voluſianum P. V.* et ita in *L.* 28. *de decurion.* et in pluribus Codicis Theodoſiani, hoc anno Chr. 365. latis, *Valentiniano et Valente AA. coſſ.*

§. 81. *L.* 6.) Inſcriptio: *Impp. Honor. et Theod. AA. Iſidoro P. P.* Recte quidem: quapropter tolli debet frigida notatiuncula *num.* 77. in qua: *al. P. V.* Nam etſi habemus Iſidorum P. V. a. Chr. 410. de quo ſuo loco; hoc tamen anno Chr. 416. coſſ. Theodoſ. A. VII. et Palladio, Iſidorus urbis praefectura non fungebatur, ſed praetorii; ut in noſtra lege, et in Codice Theodoſiano.

TIT.

TIT. XX.

QVANDO LIBELLVS PRINCIPI DATVS cet.

§. 82. *L.* 1.) Inſcriptio: *Impp. Arcadius et Honorius AA. Remigio P. P.* Transſcripta eſt ex *L.* 8. *C. Th. de diuerſ. reſcript.* Ibi autem legitur; *Remigio PF. P. Auguſtali;* quod addendum in noſtra. Alia Theodoſiana, nempe *L.* 7. *de contrah. emt.* ipſi inſcribitur cum eodem titulo. Eſt anni Chr. 396. Arcadio IIII. et Honorio III. AA. coſſ.

TIT. XXI.

VT LITE PENDENTE, cet.

§. 83. *L.* 1. Subſcriptio: *dat. Kalend. Mart. Lupo et Maximo conſſ.* 233. Falſa eſt haec nota chronologica. Hi conſules fuere a. Chr. 232. non ſequenti.

TIT. XXII.

SI CONTRA IVS VEL VTILITATEM PVBLICAM cet.

§. 84. *L.* 3.) Subſcriptio: *dat. Kal. Octobr. Conſtantino A.* III. *et Licinio* C. III. 313. Licinius erat *Auguſtus*, non *Caeſar*; et eo anno 313. agebat tribunitiam poteſtatem VI. ideoque reponendum: *Conſtantino* III. *et Licinio* III. *AA. conſſ.* 313.

TIT.

TIT. XXIII.

DE DIVERSIS RESCRIPTIS cet.

§. 85. *L.* 1.) Subſcriptio: *Alexandro A. II. et Marcello conſſ.* 227. Conſules hi pertinent ad a. Chr. 226. non 227.

§. 86. *L.* 2.) Subſcriptio: *Antiochiano et Orphito conſſ.* 271. Falſa haec quoque nota chronologica. Conſules fuere a. Chr. 270.

§. 87. *L.* 6.) Inſcriptio: *Imp. Leo, Hilariano magiſtro officiorum, et Patritio. Auguſti* titulus Leoni dandus, et addendus *Anthemius A.* Data enim eſt *Iordane et Seuero* coſſ. hoc eſt a. Chr. 470. quo ambo imperabant. Et ita ante et poſt hanc legem Impp. dicuntur *Leo et Anthemius AA.* in *L.* 4. *de naturalib. liber. L.* 14. *de SS. eccleſ.* hoc ipſo anno latis.

TIT. XXIIII.

DE STATVIS, ET IMAGINIBVS.

§. 88. *L.* 3.) Inſcriptio: *iidem AA. et C. Florentio P. P.* Nullus hoc anno *Caeſar*: delendum igitur *et* C. Natus error librarii ex inſcriptione *L.* 2. antecedentis, ubi: *Impp. Theod. et Valentin. C.* Sed illa *dat. III. Non. Maii*, a. Chr. 425. quo die Valentinianus Caeſar erat: poſtea die XXIII. Octobr. eiuſdem anni Auguſteo honore eſt inſignitus. At in noſtra, lata Theodoſio A. XVII. et Feſto coſſ. hoc eſt a. Chr. 439. gerebat iam Placidius Valentinianus A. tribunitiam poteſtatem XIIII. Quod et euincitur ex legibus eo anno, ante et poſt eam latis,

latis, *L.* 9. *de SS. eccleſ. L.* 2. *de nauib. non excuſand.* cet.

§. 89. *L.* 4.) Inſcriptio: *iidem AA. et C. ad Nonum, comitem, et magiſtrum officiorum.* Eundem errorem admiſit typographus in hac, quae conſules habet Theodoſium A. XVIII. et Albinum; ideoque ad a. Chr. 444. (ut in ea recte eſt notatum) reducenda. Delendum, ut in ſuperiori: *et* C. Ita inuenies correcte AA. ſolos in legibus eodem anno, et iiſdem conſulibus latis: ante noſtram in *L. un. de magiſtr. ſacror. ſcrinior.* poſt noſtram in *L.* 2. *de petit. bonor. ſublat.*

TIT. XXV.

DE HIS, QVI AD STATVAS CONFVGIVNT.

§. 90. *L. un.*) Inſcriptio: *Impp. Valent. Theod. et Arcad. AA. Cyneſio P. P.* Tres ſunt imperantes hoc anno: itaque corrigendum *Imppp.* et ſimiliter *AAA.* Pro *Cyneſio* reponendum *Cynegio*, ex ſanctionibus hoc eodem anno promulgatis; nempe *L.* 14. *de religioſ. L.* 1. *de princip. agent.* et aliis nouem legibus. Subſcriptio haec: *dat. prid. Non. Iul. Conſtantinop. Honorio P. P. et Euodio conſſ.* Haec lex eſt transſcripta ad uerbum ex *L. un. C. Th. h. t.* in qua legitur: *et Euodio V. C. coſſ.* quod in noſtra addendum. Et in Theodoſianae inſcriptione leguntur, ut notauimus, *Imppp.* cet. *AAA.* cet. et titulus *V. C.* Euodio datur hoc anno in *L.* 5. (alia ratione ſuo loco emendanda) *de aedilit. action. L.* 9. *de ſuſceptor. praepoſit.*

TIT.

TIT. XXVI.

DE OFFICIO PRAEFECTI PRAETORIO ORIENTIS, ET ILLYRICI.

§. 91. *L.* 1.) Subſcriptio : *dat. prid. Kalend. Octobr. Agricola et Clementino coſſ.* 231. Hi conſules fuere a. Chr. 230. ſub tribunitia poteſtate VIIII. Alexandri A. Et ita corrigenda chronologica notatiuncula affixa.

§. 92. *L.* 2.) Inſcriptio: *idem A. Reſtituto.* Subſcriptio: *dat. Idib. Auguſt. Seuero et Quinctiano conſſ.* 236. Vtraque mendoſa. Conſulatum *Seuerus* et *Quinctianus* inierunt *Kalend. Ianuar.* a. Chr. 235. non autem 236. *Alexander Seuerus A.* occiſus eſt praedicto anno, die *XVIIII. Martii*, qui nonus erat dies ſuae tribunitiae poteſtatis XIIII. Itaque (*idem*) ut typographo placuit, auctor legis fuit 194. diebus poſt, quam mortalitatem exuit. Mortuo Alexandro A. iisdem conſulibus Seuero et Quinctiano, poſt diem XVIIII. Martii, Maximinus, Imperator, Auguſtus, P. M. tribunitia poteſtate donatus, conſul deſignatus, Imperator, pater patriae, ut in nummis et marmoribus conſpicimus, acclamatus eſt: ei ergo tribuenda eſt: *L.* 2. reponendo: *Imp. Maximinus A. Reſtituto.*

§. 93. *L.* 3.) Subſcriptio : *dat.* cet. *Arcadio et Bautone conſſ.* 385. Reponendum, ut ſaepe monuimus, *Arcadio A. et Bautone conſſ.* 385.

§. 94. *L.* 4.) Inſcriptio : *iidem AAA. Addeo comiti, et magiſtro utriuſque militiae.* Falſa quidem. Antecedentis legis auctores fuere *Valentin. Theodoſ. et Arcadius AAA.* a. Chr. 395. Huius conſules ſunt *Theodoſius A. III.* et *Abundantius*; referendi ad a. Chr.

Chr. 393. quo *Valentinianus* uiuere deſierat; nam occiſus fuit Idibus Maii a. Chr. 392; Auguſtus factus eſt *Honorius* die X. Ianuar. dicti anni 393. Itaque reponendum in noſtra: *Imppp. Theodoſius*, *Arcadius*, *et Honorius AAA. Addeo comiti*, *et magiſtro utriuſque militiae;* et addendum: *per orientem;* ut in *L.* 9. *C. Th. de Iudaeis*, hoc anno lata. Sed et in ſubſcriptione addi poterat *Abundantio V. C.* ut in *L.* 7. *de erogat. militar. annon.* hoc anno lata.

TIT. XXVIII.

DE OFFICIO PRAEFECTI VRBI.

§. 95. *L.* 3.) Subſcriptio: *dat. VI. Kal. Iul. Valente A. V. et Valentiniano Iun. coſſ.* 368. Notandum, auctores legis, in epigraphe propoſitos, eſſe *Valentem*, *Gratianum*, *et Valentinianum AAA.* Itaque et *Auguſtus* appellandus eſt *Valentinianus* in ſubſcriptione. Deinde eius modi conſulatus incidit in annum Chr. 376. et perperam notatur 368. Itaque corrigenda: *Valente V. et Valentiniano Iun. AA. conſſ.* 376. Et ita in *L.* 1. *de ſpectac. L.* 23. *ad L. Cornel. de falſ.* cet. eodem anno latis.

TIT. XXXI.

DE OFFICIO MAGISTRI OFFICIORVM.

§. 96. *L.* 4.) Subſcriptio: *dat.* cet. *Maximo II. et Paterio conſſ.* 443. De ſecundi conſulis nomine quaeſtio eſt. Quatuor leges hoc anno latae *Paterium* habent, et ita nominatur a PROSPERO, MARCELLINO, Anonymo Noriſiano, et Laterculis, et PAGIO, quod ſequimur ut leges uindicemus. *Paternum*

 exhi-

exhibent Chronicon Alexandrinum, CASSIODORVS, VICTOR, CVSPINIANVS, ONVPHRIVS, (qui, cum conſul is eſſet occidentalis, orientalem facit,) PETAVIVS, REINESIVS, CALVISIVS, et alii. Et in epiſtola LEONIS pontific. (apud LABBEVM, *tom. VII. Concilior. pag.* 55.) ad epiſcopos per Campaniam, legitur: *data VI. Id. Octobris. Maximo Vero et Paterno VV. CC. conſulibus.* In cuius margine notatum eſt: *Maximo iterum et Paterio.* Diuerſitatis, ni fallor, cauſſa fuit, quod Theodoſii Magni tempore fuit *Paternus*, de quo IAC. GOTHOFREDVS in *Proſopographia;* tempore autem Theodoſii Iunioris fuit noſter *Paterius.*

§. 97. *L.* 5.) Subſcriptio: *Mauortio V. C. conſ.* 573. Conſulatus *Mauortii*, ſine collega, imperantibus Iuſtino et Iuſtiniano AA. incidit in annum Chr. 527. ideoque nota chronologica corrigenda. Ambo legem tulerunt, cum data ſit X. Kal. Maii, et Iuſtinus A. poſtea obierit Kal. Auguſti.

TIT. XXXII.

DE OFFICIO COMITIS SACRARVM LARGITIONVM.

§. 98. *L. un.*) Inſcriptio: *Impp. Arcad. et Honor. AA. Limenio, comiti.* Haec lex conſules habet *Honor. VII. et Theodoſium II.* AA; ac proinde ad a. Chr. 407. reducenda. Imperabant Arcadius, Honorius, et Theodoſius AAA. et hic quidem trib. poteſt. VI. ideoque legendum: *Imppp. Arcad. Honor. et Theod.* AAA. *Limenio, comiti.* Et ita habetur in aliis legibus eiuſdem anni, ut in *L.* 2. *ne liceat potentior.* cet.

TIT.

TIT. XXXIII.

DE OFFICIO COMITIS RERVM PRIVATARVM.

§. 99. *L.* 1.) Inſcriptio : *Impp. Valent. et Valens AA. ad Honoratum , conſularem Byzantii.* Conſtabit error ex ſubſcriptione, in qua habetur: *dat. VI. Kal. Ianuar. Valentin. et Valente AA. II. conſſ.* 368. Itaque cum is annus, ut recte notatur, ſit Chr. 368. *Gratianus A.* adiungendus eſt, qui die XXIIII. Auguſti tribunitia poteſtate donatus eſt, *Auguſtus* nuncupatus, et conſors imperii; quod euincitur ex *L.* 3. *de cohortal.* quae ante noſtram lata eſt *VI. Non. Octobr.* ubi : *Imppp. Valent. Valens, et Gratian.* cet. et ex *L.* 4. *quorum appellat. data XV. Kalend. Septemb.* Corrigenda ergo ex his noſtra: *Imppp. Valentin. Valens, et Gratian. AAA. ad Honoratum , conſularem Byzantii.*

TIT. XXXIIII.

DE OFFICIO COMITIS SACRI PALATII.

§. 100. *L.* 2.) Subſcriptio : *dat. VI. Idib. Aug. Rauennae, Conſtantio et Conſtantino conſſ.* 414. Corrige : *Conſtantio et Conſtante VV. CC. conſſ.* 414. Huius anni exempla habes in *L.* 23. *de poen. L. un. de uenat. ferar.* ut alias omittam.

TIT. XXXVIIII.

DE OFFICIO PRAETORVM.

§. 101. *L.* 1.) *Imp. Conſtantinus A. ad ſenatum.* Subſcriptio eius eſt: *dat. VI. Kal. Ianuar. Euſebio et Hypatio conſſ.* 359. quo anno imperabat ſolus *Conſtantius* A. et tribunitia fungebatur poteſtate XXII. Quapropter reponendum eſt: *Imp. Conſtantius A. ad ſenatum.*

§. 102. *L.* 2.) Subſcriptio: *dat. XV. Kal. Ianuar. Conſtantinop. Valentiniano VII. et Auieno conſſ.* 450. Corrige: *Valentiniano A. VII. et Auieno conſſ.* 450. Mortuus erat *Theodoſius* A. die XXVIIII. Iulii huius anni; ideoque recte eius nomen deeſt in inſcriptione; cuius loco ponitur *Martianus*, renuntiatus Auguſtus die XXIIII. Auguſti: quod animaduertendum, ad conciliandam diuerſitatem inſcriptionum in huius anni legibus.

TIT. XXXX.

DE OFFICIO RECTORIS PROVINCIAE.

§. 103. *L.* 1.) Subſcriptio: *dat. VI. Kalend. April. Maximo II. et Vrbano conſſ.* 225. Corrigenda nota chronologica: nam haec lex Alexandri A. his conſulibus, pertinet ad a. Chr. 234. quo, ex die XI. Martii, tribunitiam poteſtatem XIII. gerebat.

§. 104. *L.* 5.) Inſcriptio: *Impp. Valent. et Valens AA. ad Apronianum, praef urbi.* Subſcriptio habet: *Arintheo et Modeſto conſſ.* 372. quo anno Chriſti non ſolum Imperatores *Valentinianus*, et *Valens*, ſed

ſed etiam *Gratianus* AAA. erant; et hic quidem ex die XXIIII. Auguſti anni antecedentis 371. tribunitiam poteſtatem gerebat. Ideoque reponendum: *Imppp. Valentin. Valens, et Gratianus AAA. ad Apronianum, praef. urbi*: et ita iiſdem conſſ. in *L.* 1. *de praefect. praetor.* et aliis.

§. 105. *L.* 9.) Subſcriptio: *dat. X. Kal. Ian. Mediolani. Poſt conſulatum Timaſii et Promoti* 390. Ex undecim legibus latis a. Chr. 390. a Valentiniano, Theodoſio, et Arcadio AAA. haec ſola habet hanc formulam. Reliquae conſules produnt *Valentinianum A. IIII. et Neotherium.* Et ita Faſti Siculi, Victor, Cassiodorvs, Marcellinvs Comes, Prosper, et MS. Caeſareum apud Norisivm. Vnde notanda haec formula, non animaduerſa a Pagio, quae ſingularis. Et licet in *Inſcriptionibus* a Smetio et Grvtero relatis, et in *Actis Concilii Carthaginenſis II.* formula haec non appareat; nec eius meminerint Seldenvs *de Synedriis*, nec Graevivs *ad Itinerarium* Rvtilii, qui conſulatum hunc illuſtrant; eam tamen emendare non audemus: immo ſuſpicamur ipſorum mortem (cum lex data ſit X. Kal. Ianuarii, et nulla alia poſt eam lata) formulae cauſſam dediſſe; cum eorum nomina nec in noſtro, nec in Theodoſiano Codice amplius legantur.

§. 106. *L.* 11.) Inſcriptio: *Imppp. (Arcadius) Honor. et Theodoſ. AAA. Theodoro P. P.* Subſcriptio: *data VI. Kal. Decembr. Rauennae, Baſſo et Philippo conſſ.* 408. Ex hac euincitur, tollendum *Arcadium* A. ab epigraphe: fatis enim iam ceſſerat hoc anno Chr. 408. Kal. Martii. Parentheſis hoc ſignificare uoluit. Ideoque recte *L.* 1. *ut nemo priuat. titul.* poſt tres dies lata, inſcribitur: *Impp. Honorius et Theodoſius AA.* et ita corrigenda noſtra.

§. 107. *L.* 12.) *Monachio P. P.* Corrige: *Mo-*

naxio P. P. Neque inuenio rationem, quare Iac. Gothofredvs in Chronologia Codicis Theodoſiani ad a. Chr. 412. loquens de noſtra lege, ubi etiam emendat *Monaxium*, dicat: *referenda haec lex ad a.* 415. Nam conſulatus ſignatur in ſubſcriptione: *Honor. VIIII. et Theodoſ. V. AA. conſſ.* qui abſque dubio pertinent ad a. Chr. 412. Licet autem conſules etiam proceſſerint a. 415. diuerſis tamen notis ſignantur, nempe X. et VI. Quapropter retinendam cenſeo ſubſcriptionem, ut fecerunt quoque Pithoei; ſed retrahenda lex ad a. Chr. 412.

§. 108. *L.* 13.) Inſcriptio: *Imp. Leo A. Conſtantino P. P.* Perperam: nam ſubſcriptio eſt: *dat. VII. Idib. Auguſt. Leone A. IIII. et Probiano conſſ.* 471. quo anno imperabat *Anthemius A.* ſimul cum Leone A. Neque occiſus fuit ille ante diem VIIII. Iunii anni ſequentis Chr. 472. Itaque emendetur inſcriptio ſic: *Impp. Leo et Anthemius AA. Conſtantino P. P.* Et ita reperies in *L.* 29. *de epiſcop.* hoc eodem anno lata.

§. 109. *L.* 14.) Inſcriptio: *idem A. eidem P. P.* Subſcriptio: *dat. VI. Idib. Febr. Clementino et Probo conſſ**. Annum non ſignauerunt, qui Pandectas notis illuſtrarunt. Hi conſules fuere a. Chr. 515. ſub tribunitia poteſtate XXII. Imp. *Anaſtaſii A*; ideoque emendanda inſcriptio, (quae ad Leonem A. anterioris legis auctorem, ut uidimus, refertur) et reponendum: *Imp. Anaſtaſius A*......... *P. P.*

TIT.

TIT. XXXXV.

DE OFFICIO CIVILIVM IVDICVM.

§. 110. *L.* 1.) Inſcriptio : *Imppp. Arcad. Theod. et Honor. AAA. Curtio P. P.* Subſcriptio: *Baſſo et Philippo conſſ.* a. Chr. 408. Corrigenda nominum AAA. tranſpoſitio: *Imppp. Arcad. Honor. et Theod. AAA. Curtio P. P.* quod maxime obſeruarent, quo quiſque ordine et tempore ad Auguſteam dignitatem perueniſſet. Equidem praedicto anno numerabant ſuas tribunitias poteſtates Kal. Ianuarii *Arcadius XXV. Honorius XV.* et *Theodoſius VI.* Iacobvs Gothofredvs notat errorem ſubſcriptionis, qua *Rauennae* data legitur, cum *Romae* degeret Honorius A. et ita in *L. un. C. Th. h. t.* ex qua noſtra transſcripta eſt, quaeque comprobat noſtram inſcriptionis emendationem.

TIT. XXXXVI.

DE OFFICIO MILITARIVM IVDICVM.

§. 111. *L.* 1.) Inſcriptio : *Imppp. Valent. Theod. et Arcad.* AAA. *magiſtris, et comitibus utriuſque militiae.* Haec lex conſules habet *Theodoſ.* A. *III. et Abundantium*, anni nempe Chr. 393. Valentinianus A. in ea notatus, Idib. Maii anni antecedentis occiſus fuerat; quam ob rem legem noſtram condere non potuit. *Honorius* uero Auguſtus eſt inauguratus hoc anno, die X. Ianuarii. Cum igitur lex noſtra data ſit *prid. Id. Febr.* ipſum neceſſe eſt habeat auctorem, et reponendum: *Imppp. Theod. Arcad. et Honor.* AAA. Ita etiam reperies in aliis legi-

bus eodem anno latis, *L. 9. de operib. public. L. 6. de metallar. et metall.* cet. Caeterum, cùm magiſtris utriuſque militiae addita fuerit comitatus dignitas, quae maior; primo loco is erit titulus recitandus: hoc eſt, non *magiſtris*, *comitibus*, ut in noſtra lege; ſed *comitibus*, *magiſtris*, ut in *L. un. C. Th. h. t.* reponendo: *comitibus*, *et magiſtris utriuſque militiae.* Demum in ſubſcriptione loco *Habundantio*, reponendum: *Abundantio V. C.* ut in Theodoſiana, et ut Latinitatis exigit ratio.

§. 112. *L.* 2.) Inſcriptio; *Monachio P. P.* Corrige: *Monaxio P. P.* ut alibi etiam diximus, et habetur in huius anni Chr. 416. legibus, in *L.* 24. *de poen. L. 6. de legation. L.* 1. *de praepoſ. labor.* Subſcriptio habet: *Theod. A. VII. et Palladio conſſ.* Additur *Palladio* honor *V. C.* hoc anno in *d. l.* 24. *de poen.* in *d. l. 6. de legation.* et in *L.* 1. *de decanis.*

TIT. XXXXVII.

NE REI MILITARIS COMITIBVS cet.

§. 113. *L. un.*) Subſcriptio: *dat. V. Kal. Decemb. Arcadio A. VI. et Probo conſſ.* 406. Adde: *et Probo V. C. conſſ.* ut in *L.* 3. *de deſertorib. L.* 12. *de erogat. milit. annon.* Sed et in *L.* 1. *C. Th. h. t.* ex qua noſtra transſcripta eſt.

TIT. L.

DE OFFICIO EIVS, QVI VICEM ALICVIVS IVDICIS cet.

§. 114. *L.* 1.) Subſcriptio: *dat. III. Non. Nouemb.*

uemb. Sabino II. et Venuſto conſſ. 241. Haec nota chronologica eſt falſa. Hi conſules fuere a. Chr. 240 et ea die gerebat *Gordianus* A. auctor legis, tribunitiam poteſtatem III. ex die VIIII. Iulii.

TIT. LI.

DE ADSESSORIBVS, ET DOMESTICIS cet.

§. 115. *L.* 1.) Subſcriptio: *dat. prid. Idib. Iul. Tiberio et Maximo conſſ.* 291. Corrige: *Tiberiano et Dione conſſ.* et ita in XV. legibus, ex XVII. hoc anno latis, *Iunius Tiberianus* ſine numerali nota ponitur, uti etiam in Faſtis Siculis, VICTORE, CASSIODORO, Anonymo Caeſareo, et aliis. At in Faſtis Heraclianis, et Graecis EVSEBII, et in libello de praefectis urbi, quos ſequitur PAGI, *Tiberianus II.* legitur; eiuſque primus conſulatus cum collega Imp. Aurelio *Probo* IIII. a. Chr. 281. quos habet inſcriptio apud CAMILLVM PELLEGRINVM in *Campania felice*, *pag.* 177. Nos autem tot legum immutabilem ſeriem religioſe uenerantes, ſine numerali nota transſcribimus. Demum aduertere facile quiſque poterit, notam *num.* 17. ad legem ſequentem in margine Pandectarum poſitam, *al. Tiberiano*, ad hanc legem pertinere.

§. 116. *L.* 2.) Subſcriptio: *dat. XV. Kal. Septemb. Conſtantino A. VI. et Conſtantino C. conſſ.* 329. Error chronologicus. Pertinent conſules ad a. Chr. 320. quo, adſcripta die, gerebat Conſtantinus tribunitiam poteſtatem XV.

§. 117. *L.* 3.) Inſcriptio: *Impp. Arcad. et Honor. AA. Meſſalae P. P.* Subſcriptio: *dat. VI. Kalend. Ianuar. Mediolani. Theodoſio et Rumoridio conſſ.* 403. Theodoſius *Auguſtus* renuntiatus eſt die X. Ia-

 nuarii

nuarii a. Chr. 402. Itaque reponendum : *Imppp. Arcad. Honor. et Theod. AAA. Meſſalae P. P.* Ita uidemus inſcriphtas hoc anno leges ante has latas, nempe *L.* 2. *quand. lic. unicuiqu. ſine iud.* et aliae. Inde etiam corrigenda uenit ſubſcriptio, non modo Theodoſium conſulem *Auguſtum* appellando, ſed pro *Rumoridio*, reponendo *Rumorido.* Vtrumque reperies in *d. l.* 2. *quand. lic. unicuiqu. ſin. iudic.* et aliis huius anni.

§. 118. *L.* 6.) Subſcriptio : *Honorio A. XI. et Conſtantio II. conſſ.* 417. Addendum: *Conſtantio II. V. C.* Haec formula debetur profecto *Conſtantio*, poſtea A. et patri quidem *Valentiniani*, qui et Auguſtus fuit. Ita etiam in *L.* 1. *ſi Chriſtian. mancip. L.* 1. *de apparitor. praefect. urb.*

§. 119. *L.* 12.) Inſcriptio: *Impp. Valent. et Mart. AA. Palladio P. P.* Subſcriptio: *dat. Val.* *** Haec lex, ſine die et conſule expreſſo, uidetur referenda ad a. Chr. 455. Ratio coniecturae eſt, quod *Valentinianus* et *Martianus* AA. legis auctores, collegae imperii fuere poſt mortem Theodoſii A. a die ſcilicet XXIIII. Aug. a. Chr. 451. quo inauguratus eſt *Martianus*, ad diem uſque XVIIII. Martii a. Chr. 455. quo occiſus eſt *Valentinianus.* Is, toto hoc tempore, conſul non proceſſit, niſi a Kal. Ianuarii d. a. 455. Cum autem in ſubſcriptionis fragmento legamus : *Val. A.* ad illum referenda eſt annum, quo conſul VIII. *Anthemio* collega, annum aperuit: et hoc ante diem XVIIII. Martii, qua occiſus eſt.

TIT.

T I T. LIII.

DE CONTRACTIBVS IVDICVM cet.

§. 120. *L. un.*) Subſcriptio: *dat. V. Idib. Decembr. Conſtantinopoli. D. N. Iuſtiniano A. II. coſ.* * Referenda ad a. Chr. 528. quo ſecundum conſulatum ſine collega geſſit *Iuſtinianus* A. Is XXXVIII. leges hoc anno edidit: in omnibus fere formula eſt, *D. N. Iuſtiniano A. II. coſ.* In aliis additur *PP.* hoc eſt *perpetuo.*

T I T. LIIII.

DE MODO MVLTARVM, cet.

§. 121. *L. 1.*) Subſcriptio: *dat. V. Idus Aprilis, Antonino A. et Geta utriſque II. coſſ.* 206. Corrige: 205. quo anno Chr. hi conſules proceſſere; et adde *Caeſaris* titulum Getae, una cum pontificatu ipſi a patre tributum a. Chr. 202. Seuero III. et Antonino AA. coſſ. Retinenda etiam numeralis nota II. conſulatus Getae Caeſaris: tametſi auctoritas Cl. V. Pagi ſententiam, quae de conſulatibus *Antonini A. et Getae Caeſaris* diu obtinuit, noua coniectura labefactauit. Neque abs re hic erit huius modi conſulatus diſtincte proponere ex legum noſtrarum mente, et uiri doctiſſimi coniecturae ſatisfacere, ut regulam fixam ſtatuamus; plurimas alioqui leges emendaturi, quas emendatione reuera indigere minime iudicamus.

Conſules anni Chriſti 202.

IMP. SEPT. SEVERVS A. III.

IMP. M. AVREL. ANTONINVS AVG.

Con-

Conſules anni Chriſti 203.

P. SEPTIMIVS GETA CAESAR.
L. FVLVIVS FLAVTIANVS.

Conſules anni Chriſti 205.

IMP. M. AVREL. ANTONINVS A. II.
P. SEPTIMIVS GETA CAESAR. II.

Conſules anni Chriſti 208.

IMP. M. AVREL. ANTONINVS A. III.
P. SEPTIMIVS GETA CAESAR. III.

Geta Caeſar *renunciatus eſt* Auguſtus *die VI. Auguſti. Exinde non amplius conſul. Occiſus a fratre die XXVII. Febr. anni Chr.* 212.

Conſules anni Chriſti 213.

IMP. M. AVREL. ANTONINVS A. IIII.
DEC. COELIVS BALBINVS.

Imp. Antoninus A. non amplius conſul.

Ex his a nobis propoſitis intelliges, num PAGI rectam inſiſtat uiam? Is ad a. Chr. 203. num. 1. inquit: Geta, *Plautiani collega; non* Geta Caeſar, *Seueri filius, ut exiſtimauit Baronius, (qui et* Plautianum *perperam* Silanum *uocauit,) ſed* Geta, *Seueri Imperatoris* frater; *ut certo conſtat ex duobus* Getae Caeſaris *nummis apud Mediobarbum, in quibus is dicitur*

tur PONTIF. TR. P. IIII. COS. II. DES. III. P. P. *Cum enim* Geta Caeſar *a.* 205. *et a.* 208. *conſulatum ordinarium geſſerit ; anno* 212. *quo a* Caracalla *fratre occiſus*, *non conſul II. deſignatus III. ſed conſul. III. deſignatus IIII. in iis nummis diceretur.*

At ipſe non probat, *Getam*, Seueri Imperatoris fratrem, conſulem fuiſſe. Immo contra eum ſtat SPARTIANVS, (*in Seuero cap.* 8.) qui eius meminit, at non conſulatus; immo abſentem ab Auguſto detentum in prouincia. Audiamus SPARTIANVM : *occurrit ei et ſtatim* Geta *frater ſuus*, *quem prouinciam ſibi creditam regere praecepit*, *aliud ſperantem. Secundo*, neque in faſtis, neque apud hiſtoricos quidquam inter conſulatum *Getae* anni 202. ac caeteros, quod perſonarum diuerſitatem arguat, legimus. *Tertio*, *Getae Caeſaris* (qui primus dicitur a PAGIO) conſulatus cum Antonino A. II. eſt II. Getae in Faſtis Siculis, apud VICTOREM, CASSIODORVM, Anonymum, et Can. Graec. EVSEBII. Et quidem eo anno (Chr. 205.) latae fuerunt XX. leges, in Iuſtinianeo Codice extantes, ex quibus XVII. expreſſe *Getam Caeſarem II. conſulem* produnt. *Quarto*, conſulatus *Getae Caeſ.* cum Antonino A. III. a. Chr. 208. etiam III. Getae ſignatur in Faſtis Siculis, et apud VICTOREM, CASSIODORVM, Anonymum, et Canon. Graec. EVSEBII. Sed et eodem anno iiſdemque conſulibus octo datae ſunt leges in noſtro Codice, ex quibus ſeptem *Antoninum A. III. et Getam Caeſ. III.* habent.

Supereſt a PAGI, et *Cl. V.* BASNAGIO, qui eum ſequitur, auctoritas nummorum apud MEDIOBARBVM COMITEM, olim amicum; quorum argenteum retulerat ADOLPHVS Occo, ex quo ille deſcripſit. Fateor, plurimos me uidiſſe detritos, falſos, ſuſpectos, quorum in Italia celebres habuimus, et nunc agnoſ-

agnoſco, fabricatores: ſed, et ſi ſuſpicione careant, tot legum, faſtorumque unanimis conſenſus, meo iudicio, praeualere debet.

§. 122. *L.* 2.) Eſt Alexandri A. in cuius ſubſcriptione legitur: *Modeſto et Probo conſſ.* 229. Haec nota chronologica minus recte appoſita. Conſulatus Modeſti et Probi pertinet ad a. Chr. 228.

§. 123. *L.* 3.) Eſt Gordiani A. Subſcriptio: *dat. Id. Septemb. Gordiano A. et Auiola conſſ.* 240. Corrige: *a. Chr.* 239. quo illi conſules fuere.

§. 124. *L.* 5.) Inſcriptio: *Imppp. Valent. Theod. et Arcad. AAA. ad Praetextatum P. P.* Etſi hoc eodem anno (Chr. 384.) in *L.* 1. *ut dignitat. ord. ſeruet. Praetextatus* dicatur *praefectus urbi*, et ita in Codice Theodoſiano; nihil tamen immutandum. Iam enim Iacobvs Gothofredvs adnotauit, Praetextatum utraque dignitate ornatum hoc anno. Mihi autem ex Symmacho uidetur, et ex die latarum legum, primum fuiſſe praefectum urbi, deinde praefectum praetorio.

§. 125. *L.* 6.) Inſcriptio: *Imppp. Arcad. et Honor. AA. Meſſalae P. P.* Cum data ſit *Theodoſio A. II. et Cynegio conſſ.* hoc eſt a. Chr. 388. ſatis conſtat, *Theodoſium* quoque, appellatum *Auguſtum* in ſubſcriptione, fuiſſe legis auctorem. Ideo reponendum: *Imppp. Valentin. Theod. et Arcad. AAA. Meſſalae P. P.* Hi enim eo anno imperabant, non *Arcadius* et *Honorius AA.* ut inſcriptio habet; et ita reperies, his conſulibus, in *L.* 6. *de Iud. et coelicol.* et in *L.* 1. *de fabricenſ.*

TIT.

TIT. LV.

DE DEFENSORIBVS CIVITATVM.

§. 126. *L.* 4.) Inſcriptio: *Imppp. Gratian. Valent. et Theod. AAA. Theodoro defenſori.* Subſcriptio; *dat. XI. Non. Iun. Conſtantinop. Arcadio et Bautone conſſ.* 385. Falſa inſcriptio. Cum enim conſules denotent annum Chr. 385. expungendus *Gratianus* A. qui iam occiſus fuerat die XXV. Auguſti a. Ch. 383; et addendus *Arcadius*, qui Auguſtea dignitate erat inſignitus ex die XVIIII. Ianuar. a. Chr. 384. Quapropter ita corrigenda: *Imppp. Valentin. Theodoſ. et Arcad. AAA. Theodoro defenſori.* Et ſubſcriptio etiam emendanda; nam nullus ex XII. menſibus habet *XI. Nonas.* Cum iam id animaduertiſſet IAC. GOTHOFREDVS in Chronolog. a. 385. reponit II. uel IIII. Mihi primum placet; et uero ſimile uidetur, ſignatum II. numero Romano (quod *duo* uel *ſecundo* ſignificat) a librariis ſumtum pro charactere Arabico uulgari *undecim* uel *undecimo*; ex quo error promanauit.

§. 127. *L.* 8.) Inſcriptio: *Impp. Honor. et Theod. AA. Caecilio P. P.* Pertinet ad a. Chr. 409. et reponendum: *Caeciliano P. P.* Ita eodem anno iiſdemque conſulibus, in *L.* 11. *de teſtib. L.* 2. *ut intr. cert. temp.* et aliis, et in Codice Theodoſiano.

§. 128. *L.* 9.) Inſcriptio: *iidem AA. Caecilio PP.* Eſt a. Chr. 409. Corrige: *Caeciliano P. P.* ut in antecedenti.

TIT.

TIT. LVI.

DE MAGISTRATIBVS MVNICIPALIBVS.

§. 129. *L.* 2.) Inſcriptio : *Impppp. Valentinianus et Valens AA. ad Germanianum.* Eſt a. Chr. 366. Adde: *ad Germanianum P. P.* ut in *L.* 9. *C. Th. de diuerſ. offic.* hoc anno lata. Vbi IACOBVS GOTHOFREDVS addit: *P. P. Galliarum*, ex AMMIANO MARCELLINO.

FINIS.

4 3.57

682

4.3.57

Digitized by Google

005648968

Digitized by Google

[illegible] Google